Artis medicae principes, Hippocrates, Aretaeus, Alexander, Aurelianus, Celsus, Rhazeus / Recensuit, praefatus est Albertus de Haller.

Contributors

Haller, Albrecht von, 1708-1777

Publication/Creation

Lausannae : Sumptibus Julii Henrici Pott et Socior, 1787.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pfj3qh2v

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Suppl. 59,427/B

Vol. 10

ARTIS MEDICÆ PRINCIPES.

TOMUS DECIMUS.

ARTIS MEDICÆ PRINCIPES.

HIPPOCRATES, ARETÆUS, ALEXANDER, AURELIANUS, CELSUS, RHAZEUS.

RECENSUIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS DE HALLER,

PRÆSES SOCIET. REG. SCIENT. GÖTTING. SODALIS ACADD. REG. SCIENT. PARIS. CHIR. REG. GALL. IMP. BEROL. SUEC. BON. ARCAD. BAVAR. SOC. SCIENT. BRIT. EDIMB. UPSAL. BAT. BOT. FLOR. HELVET. IN SENATU SUPREMO BERNENSI DUCENTUMVIR.

TOMUS X.

Editio altera, emendatior & nova præfatione aucta.

LAUSANNÆ,

Sumptibus JULII HENRICI POTT ET SOCIOR.

M. D. CC. LXXXVII.

AD

ILLUSTREM VIRUM MARC. LEOP. ANTONIUM CALDANUM,

MEDICUM ET PHILOSOPHUM,

THEORIÆ MEDICÆ PROFESSOREM

PRIMARIUM PATAVINUM,

SOC. REG. BRIT. SOD.

EPISTOLA CONSOLATORIA.

Amisisti Vir illustris uxorem, amari dignam, & quam tenerrime amasti. Eo acerbior ea mors Tibi contigit, quod ex morbo incurabili contabescentem optimam matronam, multis mensibus

quotidie mori vidisti; vix enim ab ipsa morte differt certitudo fati, intra breve tempus impendentis & inevitabilis. Quare longo tempore nunquam animus Tuus a dolore liber fuit, quoad mors ipsa dilectissimæ feminæ Te diuturno mœrore emollitum totum prostravit.

Quantus is dolor sit Tibi credo, nam credo mihi, quem simile fatum in nova regione, ab omnibus familiaribus longe remotum, omnis humani auxilii expertem pene oppressit, morbumque primum in acutum, deinde in longum languorem præcipitavit. Excitavit me tunc ex perpetua meditatione jacturæ meæ, irreparabilis & immensæ, ipsa necessitas.

Projectus in Academiam novam, cujus incrementa necesse fuit intensis omnibus animi viribus adjuvare, compulsus ad labores anatomicos, botanicos, ad condendum hortum academicum, & theatrum anatomicum, debilis, & æger animo avocatus fui a tristi desiderio, ut pene invitum, omissa doloris mei meditatione, me totum traderem curis publicis.

Asperi remedii felix fuit eventus. Nunquam equidem lætum animum recuperavi, nunquam

adeo ſerena fui fronte, quin denſa nubes renaſcituram lætitiam reprimeret, meque triſtem ſub memoriam demergeret. Abiit, æternum abiit a me juventæ felicitas, in qua ipſe modicis contentus bonis mihi placebam, ultra quam nihil deſiderabam. Fugit, & non reditura, tranquilla felicitas. Nunquam ab eo anno ad meæ conditionis contemplationem placide ſubriſi. Sed & everſæ erant meæ fortunæ, nullis unquam reparandæ laboribus, quæ quidem jactura meorum malorum pars fuit minima, quam vix ſentirem aſperioribus ſtimulatus aculeis.

Si nulla ſpes eſt felicitatis poſt ejuſmodi infortunium, eſt aliqua tranquillioris animi. Non quidem unquam dulcis, & tamen dolens, memoria cari capitis me deſeruit: remiſit tamen doloris ſævities, ſiccatæ ſunt lacrumæ, redii ad officia vitæ humanæ, labores impoſitos toleravi, & ſi de gaudio deſperavi, tamen expers nimii tormenti, faſtidia vitæ æquior exhauſi.

Ejuſdem conſolationem etiam Tibi promitto, meliora non ſpondeo. In ipſo ætatis verſaris vigore, amice optime, dives experimentorum a Te ipſo factorum, dives optimæ ex aliis collectæ frugis. Præſides in cathedra honoratiſſima

perantiquæ & celeberrimæ ſcholæ, cujus famam ut ſuſtineas Tua nunc cura eſt. Magnorum virorum in locum ſucceſſiſti; ab ingenio Tuo, quod ſummum eſt, ſperatur a bonis omnibus, feliciorem Te traditurum poſteris Academiam, quam accepiſti. Late patet Tibi bene merendi campus; ſtudioſos juvenes veris rei medicæ principiis imbues: ii olim medicinam facturi nullum mortalem letho eripient, quin Tua ſit laus, quin a Te publica profecta ſit, quam patriæ præſtant, utilitas. Libros ſcribes, in quibus vera ſolidaque experimento ſuperſtructa fundamenta artis pones; eorum utilitas etiam latius patebit, quam quidem cathedræ. Neque enim Italos ſolos, & aliquot regionum juvenes dignos reddes, qui auguſtam medendi mortalium malis artem exerceant: ſed omnia utique regna, quæ bonas artes colunt, omnia ſecula Tuis laboribus illuſtrabis. Rejectis præjudicatis opinionibus, liberos vulgaribus erroribus & naturæ ſoli credulos, corpus humanum, & regentes id corpus vires docebis Morbos adgnoſcere, diſtinguere obſcuras cauſas, firma remedia cuique malo opponere, diſcent a Te & noſtri ævi homines & poſteri. Hoc Tuo officio non aliud non illuſtrius, qui putem veræ gloriæ menſuram eſſe humani generis utilitatem, cui quidem celebres illæ heroum victoriæ nocent, miſeriasque mortalium maximis malis

augent. Tua ars nunquam nisi salubres ad fines laboriosa, lacrumas siccare mortalium nata est, benefica undique, & nihil aut meditatura aut effectura, nisi publicis destinatum commodis.

Ita dum Tuo excellenti ingenio ad eum finem uteris, ad quem id Tibi est impertitum, ea omnia bona, quæ ex Tuis laboribus late provenient, non poterunt non Tuum lenire dolorem. Neque enim ulla purior mortali voluptas contigerit, quam conscium testimonium benefactorum, levati questus infelicium, salutis civibus redditæ, generis humani diminutarum miseriarum.

Quare age, explica vires animi Tui, justis ne succumbas querimoniis. Dispelle regnantes per scholas errores, aperi per utilia experimenta ignoratas veri vias, adde lucem artium optimæ, & spera, non quidem subito, sensim tamen & in dies, decessurum aliquid de asperitate doloris, renascituram alacritatem, qua ad utilissimos labores exarsisti, eamque redituram tranquillitatem, quæ in rebus humanis felicitatis locum tenet; post superatam enim demum hanc obnoxiam malis brevemque vitam, ea certa firmaque nobis continget beatitudo, ad quam

nati ſumus, & ad quam per virtutem nos æquum eſt eniti.

Tu vero veteri amico fave, lætaturo Tuis bonis, & Tuam meliorem ſortem in partem ſuæ felicitatis relaturo. Accipe interim leve hoc donum, CÆLII novam editionem, quæ ideo mihi placet, quod clariſſimo Tuo nomini eam dedicare liceat, & occaſionem nactus ſim publice oſtendendi, quantum Te amem, quanti Te faciam, quam ſollicite cupiam Te beatiſſimum eſſe, eaque omnia conſequi præmia, quæ per Tua utiliſſima ſtudia meruiſti.

BERNÆ d. 28. Sept.
1773.

AD

CÆLIUM AURELIANUM

PRÆFATIO.

LÆtus decedo de labore, quem mihi temere imposui, cum novam *principum medicorum* editionem susciperem, desideriis flexus bibliopolæ, quem, multa passum & immerita, meo labore adjuvare cuperem. Non prævidi quantum esset in hac editione molis, sed nec prævidi, quam a nonnullis hominibus mearum curarum mercedem essem experturus. Nihil promittebam præter selectum bonorum operum, opus hactenus simile STEPHANIANI, ut compilatores excluderem, eosque solos admitterem scriptores, qui rem ipsam dixissent suoque essent usi judicio. CELSUM si nolis in hoc censu ferre, vel ipsa sermonis elegantia jussit admittere.

Præstiti aliquanto plura, præfationes addidi, quibus brevissime continerentur, quæ quisque scriptor bona aut propria haberet; de quoque opere sincerum, quantum in me est, judicium apposui.

Cum plus præſtitiſſem, quam eram pollicitus, alii, & inter eos clari viri, de quibus meliora ſperabam, & aliter eram meritus, varia, & acerbe carpſerunt.

Quod in libellis HIPPOCRATICIS non eſſem optinam ſecutus verſionem, quod nonnunquam in cenſura librorum genuinorum aut ſuſpectorum HIPPOCRATIS miti nimium eſſem uſus judicio, id vitio mihi verſum eſt. Non perſuaſerunt nimis fuiſſe me mitem; de verſionibus difficillimum erat officium, præferre aliam alteri, cum alia loca hic melius reddidiſſet, alia alius.

Nunc ad finem operis perveni. CÆLIO ultimum locum ſervavi, non pro meritis, non quod viliorem putarem aliis, ſed quod latino ſermone adeo barbaro eſſet uſus, ut ſeri alicujus ævi fuiſſe perſuadearis. Scripſit certe, quo tempore Græcæ voces male a latinis reddebantur, exemplo ſquinanthi (*a*), qualia fere apud MARCELLUM Empiricum reperias. Poſterius in ſeculum non pono, quod Chriſtianum fuiſſe nullum ſit veſtigium. Demum CELSO ſubjeci, latinum, ſed ſerioris ævi hominem.

Quum accurate in CÆLIO legendo verſarer, & ſingulas voces expenderem, in eam om-

---

(*a*) *Tard. III.* c. 8.

nino transii sententiam, verum operis auctorem SORANUM esse, non diffitente CÆLIO. SORANO certe seculo II. incipiente viventi, totus color operis convenit. Nullus scriptor inter numerosos, qui hic citantur scriptores, nuperior citatur LEONIDE; de secta methodica tamquam florente & vigente agitur; GALENI nulla fit mentio, cujus in methodicos medicos acerba odia censuram CÆLII melius meruissent, quam HIPPOCRATES, DIOCLES, alii veterum, quos acerbe exagitat.

Deinde curationes hominum prædicat, qui in Italia vixerit, iisdem fere moribus utentium, quales post THEMISONEM & THESSALUM in urbe obtinebant. Vina laudat Italica (*b*), aquas minerales Italicas (*c*); gestationem, marinam navigationem (*d*), aquam nivalem (*e*), in circulum motum, luctamque (*f*), frictiones (*g*).

Quæ CÆLIUS addiderit non separes, præ-

(*b*) *Chron.* L. III. c. 2 &c. L. IV. c. 3. &c.
(*c*) *Chron.* L. I. c. 6. L. III. c. 12. V. c. 2 & 4.
(*d*) *Chron.* L. I. c. 1. L. II. c. 14. L. III. c. 8. L. IV. c. 10.
(*e*) *Acut.* L. II. c. 37.
(*f*) *Chron.* L. I. c. 1.
(*g*) *ib.*

ter verſiculum forte Virgilianum (*h*), quem SORANO Græco homini innotuiſſe non exſpectes, & alios verſiculos a CLODIO verſos (*i*). Nihil Africani hic videas; nulla vina neque remedia Afra, neque urbes, neque ſcriptores ejus regionis ullos.

Ipſa theoria, & morborum curatio pure eſt methodica; theoria quidem quæ ad ſtrictum & laxum & conplexum omnes morbi refert: curationes per cyclos metaſyncriticos, reſumptivos, drimyphagiam, per longam ſeriem medicaminum, ad eumdem ſcopum tendentium. Multa utique averſatio vehementiorum medicaminum, emeticorum, purgantium, rarior venæ ſectio, raræ adminiſtrationes chirurgicæ, metus ubique, ne acri auxilio inflammatio irritetur, quam tumorem vocat.

Quare probabile mihi videtur CÆLIUM, qui tamen ipſe loquitur, & SORANUM paſſim citat, ſermone ſuo SORANI placita *latinizaſſe* (*k*), parum addidiſſe de ſuo, certe ad medicam rem.

Ergo merito de SORANO, tanquam vero hujus operis auctore agemus. Epheſius dictus, Alexandriæ (*l*) medicinam feciſſe mihi non pro-

---

(*h*) *Chron.* L. I. c. 6.
(*i*) *Chron.* IV. c. 4.
[*k*] *Acut.* II. c. 28.
[*l*] SUIDAS III. p. 354.

babilius videtur, quam Romæ. Vir gravis & ejus exiſtimationis, ut GALENUS, in methodicos acris cenſor, nunquam humiliter de SORANO ſcripſerit; ejus etiam medicamenta laudaverit (*m*). Vixiſſe TRAJANI exiſtimant temporibus, ut vel inde arguas, quod hinc a GALENO citetur, inde ipſe THESSALUM, porro LEONIDEM (*n*) citet, cujus diſcipulus ATTALUS in mala curatione ſit a GALENO reprehenſus (*o*). Deinde CÆLIUS inter methodicos numerat MAGNUM, AGATHINUM & ARCHIGENEM (*p*), quæ citatio ſi eſſet SORANI, eum faceret nuperiorem ARCHIGENE. Argumentum autem minus firmum eſt, cum hæ citationes potuerint a CÆLIO proficiſci. Certius enim videtur antiquior SORANUS, cum ab ARCHIGENE citetur ob remedium alopeciæ. ATHENÆUS ARCHIGENIS fuit diſcipulus & auditorem habuit PLINIO antiquiorem, ut omnino ex eo argumento SORANUS aliquanto PLINIO ſuperior ſit, & ante TRAJANI ævum vixerit. Difficulter hæc conciliantur, & teſtimonium GALENI firmius videtur.

[*m*] *Compoſ. ſec.* loc. L. VI.
[*n*] *Acut.* II. c. 1.
[*o*] *Meth. med.* L. XIII.
[*p*] *Acut.* L. II. c. 10.

Methodicorum princeps ſcriptor methodum reſtituit (*q*).

Clinica laude floruiſſe, etiam præter hoc opus quod edimus, ſunt teſtimonia. Lichenibus difficili & tædioſo morbo, qui eo ævo pene novus emicuerat, adeo feliciter viſus eſt mederi, (*r*) ut maximus numerus eorum eſſet, qui ejus opem requirerent. Ejus eſt *diacodion* (*s*) a Galeno repetitum, & *ad achores*, quod iterum medicamentum Galenus uſu fidum conperit (*t*), & *metaſyncriticum* ad veteres achores (t*), ad alopeciam (*u*).

Ejus liber exſtitit pleniſſimus *de Chronicis morbis*, quo Cælius plurimum uſus eſt, tum *Muriobiblos* (*v*).

Libri de Medicina, quorum quartum Galenus (*x*) citat.

L. *de cœnotete*.

De ejus opere anatomico hic non eſt locus dicere. *Iſagoge* latine ſcripta & alterius videtur

---

[*q*] Cæl. *Acut.* L. II. c. 9.
[*r*] Ducentorum Marcell. c. 19.
[*s*] *Compoſ. ſec. loc.* L. VII.
[*t*] ibid. L. II. c. 1.
[*t**] ibid.
[*u*] ib. L. I. c. 1.
[*v*] ib. c. 8.
[*x*] ib. c.

videtur ſcriptoris eſſe ; ſuppoſitum ab imperito homine (*y*).

De CÆLIO pene nihil eſt, quod adferam, aut apud veteres reperiam. Afer eſſe dicitur, ex Sicca Veneria natus, Numidiæ oppido (*z*). Homo fuit acris, acerbus refutator veterum, ut ne quidem HIPPOCRATIS magnæ famæ pepercerit (*a*) alioſque methodicos, in iis THEMISONEM & ASCLEPIADEM ubique refutet, ut THEMISONIS priora opera immatura, poſteriora melius ad methodum aiat confirmata; facile vero adparet ſemina methodi, & curationis potiſſimum, ab ASCLEPIADE ad THEMISONEM veniſſe, ſenſim & ad ſimplicitatem methodi caſtigata.

Græcis literis non optime imbutus fuit (*b*).

Editiones perpaucæ ſunt. Tardarum paſſionum libros quinque J. SICHARDUS edidit Baſil 1529 fol. a J. CORNÀRO adjutus. Apud ALDUM cum aliis veterum, prodierunt 1547 fol.

[*y*] M. CAGNAT. *var. lect.* IV.

[*z*] in titulo operis.

[*a*] *Acut.* II. c. 19. Iniquus videtur, quod cœliacis ab HIPPOCRATE hellebori uſum imperari in l. *de ſentent. Cnid. Chron.* IV. c. 3. Is certe locus in noſtris exemplaribus HIPP. non reperitur.

[*b*] Ita podagram putat ab *agreſti* natura dici, quæ eſt a captando. *Tard.* L. V. c. 1. Πορθς meatus intelligit, ubi πωροι calli intelliguntur.

Celerum paſſionum libri III. Paris, 1533. 8°. curante J. GUINTERO Andernacenſi, apud COLINÆUM. 4°.

Utrumque opus eſt in collectione HENRICI STEPHANI 1567. fol. Lugduni etiam recuſum, cura J. DALECHAMP, Lion 1567 & 1569. 8°. nihilo melius.

Iterum recenſuit J. CONRADUS AMMAN, notulas adjecit THEODORUS ab ALMELOVEEN; adjectum eſt lexicon CÆLIANUM, Amſterdam 1709, 1722, & 1755. 4°. Venet. 1757. 4°. denique hic recuſum.

Nulla eſt editio Londinenſis (*c*).

In mea AMMANIANAM ſecutus ſum, etſi is textus valde eſt vitioſus; emendationes vero REINESIANAS adjeci.

CÆLIUS alia ſua opera citat *adjutoriorum* (*d*).

L. *medicaminum* (*e*).

L. *reſponſionum* (*f*), in quo chirurgica etiam tradidit.

L. *epiſtolarum* ad PRÆTEXTATUM (*g*) Græce ſcriptum.

[*c*] Nouv. de la républ. des lettres 1709. Octob.
[*d*] *Chron.* II. c. 2. I. c. 4.
[*e*] *Chron.* II. c. 7.
[*f*] *Chron.* II. c.4.7. L. I. c.1.4. ubi tertium librum citat.
[*g*] *Chron.* L. I. c. 6. ubi purgantia in paralyſi damnat.

Libri *muliebrium* promiſſi (*h*) videntur eſſe inter *reſponſionum* libros (*i*).

Nunc de ipſo opere, ſive SORANI ſit, ſive aliquæ CÆLII in eo ſint partes. Magni id facio, & ob conſervatos veterum locos, & ob curioſam morborum deſcriptionem. Cl. virum videas, qui ARETÆO & GALENO (*k*) CÆLIUM prætulerit. De GALENO facile dederim, cujus ingenium potius ad generalia & ad abſtractiones, quam ad lectum morbi alicujus meditanem & obſervationem aptum erat. Curativa pars mihi multo magis complexa, & magis ad ſectæ nutum videtur diſpoſita, nonnunquam etiam, meo certe ſenſu, naturæ undique contraria, ut in phthiſi (*l*), epilepſia (*m*), aurium dolore (*n*).

Nempe ut hæc breviter de methodo prælibem, morbi omnes ad ſtrictum & laxum, & ad genus denique referebantur, quod eſſet ex

---

[*h*] *Chron.* L. I. c. 4. *Acut.* L. III. c. 18.
[*i*] *Chron.* Lib. V. c. 4. 7. 10.
[*k*] GRAINGER *fata Bot.* 78.
[*l*] Alvum ducit vehementer, medicamina dat acerrima, ut ariſtolochiam, arum, diatrion pipereon, ſquillam, cibum ex aviculis, & miſta his mollientia, ipſum diacodium, purgato ulcere vinum album, theriacam. *Chron.* L. II. c. 14.
[*m*] *Chron.* L. I. c. 4.
[*n*] per adſtringentia. *Chron.* L. II. c. 3.

ſtricto & laxo compoſitum. Nunc quidem hæc opinio noſtro ævo, in ipſa curatione morborum, eſt renovata, ut univerſa fere ars ad duas indicationes referatur, ſuſcitare motus vitales vel viciſſim moderari. Cauſas remotas Noſter negabat requiri debere (*o*).

Non immoror facili obſervationi, non ſemper videri methodicos morbos ad id genus retuliſſe, quo oportuerat referre. Nam cacheXiam (*p*) certe & hydropem ad ſtrictum genus pertinere (*q*), tum lethargum (*r*), omnino erat improbabile.

Deinde non omnes morbi vel in aucto partium tono, vel in diminuto ſunt poſiti. Humorum morbos omnes excludere manifeſto eſt nimium, cum certum ſit, ex diæta, ex cibis putridis, maximos & funeſtiſſimos morbos ſubito eſſe ortos, cum morbi contagioſi corruptos per humores noſtros operentur, flavæ febris in exemplo, cum ſcorbutus humorum alcaleſcenti degenerationi omnino adſcribi debeat.

Ciborum facultates aliter, quam nuperi

[*o*] CÆL. *Chron.* L. III. c. 19.
[*p*] *Chron.* L. III. c. 6.
[*q*] Alias *complexum* *Chron.* III. c. 7.
[*r*] *Acut.* L. I. c. 9.

æſtimat. Porcinam cenſet inter cibos facile coquendos (*s*).

Porro nihil vulgatius eſt, quam morbi ejuſdem aliqua tempora curationem refrigerantem & laxantem poſcere: aliis temporibus roborantem & ſtringentem, ut in univerſa febrium cohorte. Denique ſenſibili nervorum potentiæ vix ullum in hac theoria locum eſſe conſtat. Verum nolo his refutandis immorari, præſtat curandi rationem dicere, quæ in hoc opere dominatur, deinde ad peculiares morbos deſcendere.

In morbis acutis, qui ſint cum ſtrictura, fomenta calida, inunctio, quæ fit oleo calido, cataplaſmata, vaporationes, fricationes, geſtationem, balnea, ſanguiſugas, adhibet. Acria ubique fugit, ſternutamenta, balnea frigida, ſæpe & clyſteres, demum narcotica quidem, neque vomitum fere ciet, neque alvum ducit.

In prima diatrito fere ubique jubet cibis omnino abſtinere (*t*). Cubandi rationem, cibum etiam pro natura mali alium & alium ſollicite præſcribit. Aeris denique ad fines medicatos curam ſollicite inculcavit, a quo

---

[*s*] *Chron.* II. c. 14.
[*t*] *Acut.* Lib. III. c. 8.

elemento plurimum ſperavit, ut limpidus & frigidus laxas partes ſtringeret, aut viciſſim tepidus laxaret.

In morbis a laxitate aer frigidus, acetum in fotu, in gargariſmate ipſi familiares erant, cum cibi adſtringentes, cucurbitulæ, dropaces.

Abſtinebat purgantibus fere ubique, ipſa hiera & acribus clyſteribus, tum diureticis atque ſudorem moventibus, uſtionibus.

Rejiciebat empirica medicamenta (*u*), & ſuperſtitioſa.

Verum, quod peculiare omnino ſibi habebant methodici, *cycli* erant, ſ. diuturnus remediorum & auxiliorum ad certum finem temperatorum uſus: ejuſmodi cyclos faciebant duorum generum, primum *recorporativum*, ſ. *metaſyncriticum*, quo tota corporis temperies mutaretur; alterum *reſumptivum*, quo vires reſtituerentur. Eos cyclos alternatim adhibebant, modo præmiſſo recorporativo, modo reſumptivo. Sed per exempla rectius intelligetur, quæ ſint noſtri longæ curationes. In cephalea a cyclo reſumptivo incipit (*v*). Primo die æger cibo abſtineat, vel parciſſimo utatur, altero leniter corpus exerceat, & ungatur, & cibum

(*u*) *Chron.* L. I. c. 4.
(*v*) *Chron.* L. I. c. 1.

capiat, ſed parcum, oleraceum, piſces teneros, aviculas, cerebrum, quod videtur noſter pro facili habere alimento, hæc per biduum. Inde addit cibo, aves imperat, turdos, columbarum pullos. Poſt tres iterum dies denuo cibo addit, & nunc leporum carnes permittit & caprearum. Sic etiam in dies vini portionem auget, & geſtationem & exercitium. Alibi cyclum reſumtivum per alimenta diſtribuit, ut præcedant quorum media eſt qualitas, tum volatilia, porro agreſtia, denique caro porcina (*x*).

Huic cyclo peracto ſuccedit alter metaſyncriticus (*y*). Primo die iterum abſtinentia, altero balneum, geſtatio, unctio, panis una tertia pars ejus, quam ſolitus erat ægrotus ſumere. Acria vina, ſinapi, olivas, cappares, pulmentum ſalſum, vinum. Ita porro ſubinde ponderi cibi potuſque addit tertio quantoque die, & a piſcibus ad aves, ab iſtis ad agreſtium animalium & porcorum carnes adſcendit: dropacem, & paroptesin ſ. excalefactionem, & alia externa auxilia conjungit.

Subjungebat iſti tertium cyclum, a quo ad drimyphagiam tranſiret. Et vomitum nunc raphano movet, vel aceto etiam ſcillino, & aqua

(*x*). *Chron.* L. II. c. 13.
(*y*) *Chron.* L. I. c. 1.

tepida vomitum adjuvat; a vomitu ægrotum absque cibo dimittit.

Ita per aliquot dierum intervalla redit ad vomitum, additis etiam herbis acribus aromaticis. Inde ad cyclum metasyncriticum redit & ad drimyphagiam.

Alia exempla per singulos dabimus morbos. Est vero in his cyclis incomti quidem aliquid, neque semper is ciborum selectus, qui scopo medentis respondeat: totum vero institutum mutandi corpotis profundi quid habet judicii, & emendatum ad nuperam de ciborum natura lucem, plurimi videtur in lentis morbis usus esse posse.

In Phrenitide (z) cucurbitulas capiti admovet, & hirudines sub fronte; post mali declinationem gestationem. Venæ sectionem nisi in rarioribus casibus improbat (a), tum venæ sub lingua incisionem.

Pulsum lethargicis inflatum esse (b) & inanem; totum etiam morbum bene describit (c). Stupor, in quem æger relabitur. Esse, qui ex lethargo in phrenitidem transierunt, hos con-

(z) *Acut.* L. I. c. 11.
(a) c. 12.
(b) L. II. c. 1.
(c) L. II. c. 3.

valuiſſe. Lethargi pulſum non plenum eſſe ut a pota (*d*) mandragora. In prima diatrito poſſe venam incidi (*e*). Graviorem ſtricturam eſſe, quam quidem in phrenitide. Veteres hujus mali non meminiſſe (*f*). Tumorem (inflammationem) eſſe in cerebri membranis.

Catalepſis (*g*). Accurate ſymptomata enumerat. Membra extenta ægrum non colligere, neque conducta diſtendere, etſi aliquis ſenſus ſuperſit. Ut in phrenitidem degeneret & in lethargum, pulſu inanito, qui in catocho plenior eſt. Duplici tertianæ ſupervenire. Curari (*h*) fomentis calidis, balneis, clyſteribus, ſcarificato occipite. Cibos molles vult, & abſtrinendum acribus (*i*) & frigidis, ut SORANUS per experientiam edoctus monnerit. SORANUM ſæpe ex abuſu perſicorum vidiſſe ſubnatum catochum (*k*).

Pleuritis. De ea bene SORANUM ſcripſiſſe (*l*), recte HIPPOCRATIS (*de ptiſana*)

(*d*) c. 4.
(*e*) c. 6.
(*f*) c. 9.
(*g*) c. 10.
(*h*) c. 11.
(*i*) c. 12.
(*k*) c. 13.
(*l*) c. 19.

calefacientia fomenta rejeciſſe, quæ inflammationem augeant (*m*). Eumdem recte morbum definiviſſe (*n*). Senibus & hieme frequentiorem reperiri. Bona morbi deſcriptio (*o*). Doloris ſedem in pleura eſſe. Venam in ipſa diatrito debere ſecari. Si ventris adfuerit ſolutio, debere adſtringentibus cohiberi. Male a PRAXAGORA acria data eſſe (*p*), tum ab ASCLEPIADE, qui præter rem Romæ noluevenam ſecare (*q*). Clyſteres ejus generis reprobat, quibus HERACLIDES uſus ſit (*r*).

Peripneumonia frequenter ſupervenit pleuritidi, & tum quidem plus habet periculi (*s*). Eſſe ſecundum SORANUM vehementem & acutam pulmonis ſtricturam, cum ſputis & acuta febre (*t*). Ejus mali ſymptomata (*u*). Pulmonem quidem potiſſimum, ſed etiam pleuram pati (*v*). Curatio (*x*). Aſitia ad pri-

---

(*m*) *ib.*
(*n*) c. 13.
(*o*) c. 14. 16.
(*p*) c. 21.
(*q*) c. 22.
(*r*) c. 24.
(*s*) c. 25.
(*t*) c. 26.
(*u*) c. 27.
(*v*) c. 28.
(*x*) c. 29.

mam diatriton; ſomni abſtinentia, perfuſio, quæ fit oleo calido. Venæ ſectio; cibus ſorbilis, cataplaſma thoraci admotum; cucurbitula remiſſionis tempore. Vaporatio, etſi ægri ægre ferre videntur. Mulſum, decoctum fœnigræci, anrylum, malagmata mollia. Ab acribus cavendum.

Malum *Cardiacum*, parce nuperis dictum (*y*). Nullum ſignum tumoris (*z*) adeſſe. Sitis immodica, hallucinatio, frigus, torpor articulorum; demum pulſus formicabilis, deficiens, animi deſponſio, ſudor ſæpe plurimus, viſcoſus. Reſpiratio parva, articulorum tremor, ſolutio ventris periculoſa, cibi faſtidium, delirium. Eſſe tamen, quibus abſque ſudore nimia ſit diaphoreſis. Totum corpus pati & laxari (*a*). Ut differant a ſtomachicis cardiaci, quorum malum non ſit a cibo (*b*), qui neque vomant, neque fluentem patiantur ſalivam. Signa boni malique ſudoris (*c*): non bonum eſſe, qui nimis profuſus (*d*). Poſſe cardialgicos omnino cura-

---

(*y*) c. 31.
(*z*) SORANUM meminiſſe.
(*a*) c. 34.
(*b*) c. 35.
(*c*) c. 36.
(*d*) c. 37.

ri, locis debere habitare frigidis, hypogeis; flabellis etiam frigus faciendum & ſparſa frigida. Cutem ſiccantibus adſpergi, ad ventriculum cataplaſmata reſtringentia admoveri. Odoramenta ejus generis bona eſſe, carneſque ſiccantes & cydonia, & victum, & nivatam aquam. Si cibum rejiciant, debere cataplaſma pectori imponi, ſed etiam cucurbitulam ad ipſum os ventriculi, multa cum flamma. Vehemens hoc inſoliti in methodico homine vigoris experimentum. Contra medicos, qui balnea frigida, acria medicamenta (*e*), & ejus generis clyſteres laudarent.

L. III. Angina, quæ ſine febre eſt (*f*); difficultas ſpirandi cum præfocatione. In ea aſphyxia peſſima (*g*), ignis vero ſacer bonus, qui circa collum & pectus erumpit. Ad ſtricturam pertinet. Vena ſecanda, etiam intra diatriton (*h*). Admovenda cataplaſmata calida, adhibendi vapores, gargariſmata, clyſteres, cucurbitula cum ſanguine, hirudines: fauces etiam linguam & palatum phlebotomat. In malo etiam occiput ſcarifat, & ſpatium inter ſcapulas, & tonſillarum viciniam vulnuſculis in-

(*e*) c. 38.
(*f*) c. 1.
(*g*) c. 2.
(*h*) c 3.

cidi. (*i*) Venæ ſub lingua ſectionem alienam eſſe, neque debere, quod HIPPOCRATIS pariter ſit conſilium, fiſtulam in fauces dari. Laryngotomen fabuloſam eſſe. Omnes anginoſos egere venæ ſectione.

Apoplexia. Signa mali; etiam facies inſolitæ longitudinis (*k*). Vena etiam in diatrito ſecanda, clyſteres dandi, ſcarifanda tempora & occiput.

Spaſmus & tetanus. Cibo in diatrito abſtinendum (*l*); fomenta imponenda mollia. Vena etiam in diatrito ſecanda, lenia olea, balnea, & ſimilia adhibenda, acria nulla, neque frigidum balneum, neque ſternutamenta. Veteres fere acribus uſos eſſe.

Hydrophobia ſ. hygrophobia (*m*), quam CÆLIUS celerem eſſe morbum (*n*) monet, non tardum. Vaporem etiam, & filum de pannis demorſis feminam ſuentem infeciſſe. Sed etiam abſque manifeſta (*o*) cauſa nonnullos aquam reformidaſſe. Bona mali hiſtoria, inter ſymptomata veretri erectio & projectio feminis.

(*i*) c. 4.
(*k*) c. 5.
(*l*) c. 8.
(*m*) c. 11.
(*n*) c. 9.
(*o*) c. 11.

SORANUS vidit hominem, qui adhortatus non potuit bibere, & puellum lactantem hydrophobum. Non novum malum (*p*), inque Creta frequens esse (*q*). Dari etiam omnia timentes pantaphobos (*r*). Curationem instituit venæ sectione (*s*), clysteribus loco potus servituris. Rejicit usum hellebori.

Tormentum s. volvulus (*t*). In prima diatrito cibo abstinendum, utendum venæ sectione, cataplasmatibus emollientibus, clysteribus oleosis. Veteres male acria dedisse, chirurgiam temerariam PRAXAGORAM proposuisse.

Satyriasis; primum SORANUM de feminis (*u*) eum morbum patientibus dixisse lego, qui solet vocari nymphomania (*v*).

Choleræ (*x*) crurum convulsionem supervenire. Eos ægrotos ut curet, ligat articulos: subinde mutandas spongias ex frigida expressas & ad ventriculum ex posca admovet. Cucurbitula utitur absque scarifatione. Non exspectat diatritum & prius ægrum cibat. Ubi

---

(*p*) c. 14.
(*q*) c. 15.
(*r*) c. 11.
(*s*) c. 16.
(*t*) c. 17.
(*u*) c. 18.
(*v*) add. *Chron.* IV. c. 9.
(*x*) c. 20.

morbus se remisit, aves dat edendas & phassas.

Acria a veteribus præscripta & helleborum longe rejicit.

In CHRONICIS de Cephalææ (*y*) curatione removet sectionem arteriæ, & ustionem, & balneum frigidum.

De *Incubone* fuse, morbo THEMISONI dicto (*z*), quem bene describit, & monet nonnunquam perniciem intulisse.

Epilepsiæ descriptio accurata (*a*), multo iis melior, quæ apud GALENUM reperias. Non perinde laudes curationem. Venam secat, scarifat, hirudines admovet, in diatrito mulsum, denique post cyclum, helleborum dat. Non probat abstinentiam a vino & a carnibus, neque chiasmum, terebrationem cranii, ustionem, arteriotomiam

Mania. Diatriton observat. Ad stricturam pertinere, non ad solutionem. Bona mali descriptio. Ingeniosa consilia, ut mens ægrorum ad meliorem usum suscitetur. Cucurbitulam præcordiis adplicat. Per circulum resumptivum & recorporativum ad helleborum venit radicibus insertum. Acria medicamenta

---

(*y*) L. I. c. 1.
(*z*) c. 3.
(*a*) c. 4.

in aures inſtillat. Ægrotos vetat ligare, aut verberare; rejicit arteriotomen, aut venæ ſectionem vehementiorem, amoriſve uſum, quem nonnulli laudaverant.

Melancholia. Curatio ſatis aſpera. Cucurbitulis utitur, ſcarifatione, medicamentis acribus, non veſicas, papulas tamen excitantibus; ad ſpinam dorſi integram cucurbitularum ſeriem ex ordine adplicat.

Valde accurate, ut in paralyſi (*b*) motus muſcularis paulatim reſtituatur. Laudat embrochas. Veratri albi exiguam etiam portionem ſuffocationis facere periculum.

In dolore aurium ipſo in principio (*c*) utendum eſſe adſtringentibus. Cucurbitulas ad auriculæ radicem ſuadet admovere.

In odontalgia gingivas ſcarifat (*d*).

Catarrhum complexam eſſe paſſionem (*e*), & modo ſtricturam ſuperare, modo ſolutionem.

In chirurgia adverſus ſanguinis ſputum (*f*) nihil eſſe præſidii. Frigida ipſe laudat, & adſtringentia, & ſoporifera, ut ſolanum. Artus ligat;

(*b*) c. 2.
(*c*) c. 3.
(*d*) c. 4.
(*e*) c. 7.
(*f*) c. 12.

gat, gummi dat. Acetum ſolvere gelatum ſanguinem, melius quam nonnulli nuperorum. Phlebotomiam anceps eſſe auxilium, cum morbus a ſolutione ſit. In Phthiſi cum putrido ulcere (*g*) dat ariſtolochiam, arum, ſtrobilorum decoctum, cibum ex volatilibus, diapipereon, & ſinapiſmum adhibet.

In Aſthmate pſychroluſiam laudat (*h*).

In ſtomachicis venam ſecat, ungit, oleo utitur (*i*). Hieram rejicit. Drimyphagia, ſ. victus naſturcinus. Vapores per os ſorbendi. Aeris mutatio.

Lienoſos adfici pediculis (*k*) & ſæpe per egeſtionem alvi penem erigi. Eſſe qui juſſerint lienem ejicere, ſed id conſilium nunquam in ipſa re locum inveniſſe. Sentire per morbos corporis partes, quæ in ſano homine ſenſu careant, hoc ante nuperos.

In hydrope vidit hydatides (*l*). Utitur arena littorali torrida, vapore metallico, ſinapiſmo, peregrinatione maritima, malagmatibus, emplaſtris, ſudore vapore aquæ marinæ excitato; demum vomitum etiam imperat, neque timet hic helleboro, euphorbio, ſcilla uti; uſque tamen diuretica medicamenta rejicit.

[*g*] c. 14.
[*h*] L. III. c. 1.
[*i*] c. 2.
[*k*] c. 4.
[*l*] c. 8.

Paracentesin laudat, quæ certe malum levius reddat. Neque vere dici, omnes mori ægros, quibus ventrem perfuderis. Morbum non semper hepatis esse scirrhum.

Phthiriasin describit (*m*), nescio annon medicorum primus, etsi malum dudum notum fuerat. Neque omittit deterius & ferale genus pediculorum.

Cœliacus morbus (*n*), parum certe a dysenteria chronica diversus, in qua ulcus recti intestini, s. fistula, sit, aliquando etiam superioris alicujus intestini ulcus. Clysteribus repetitis multum tribuit; si clyster ab ægro non retineatur, partes adfectas emortuas esse putat. Vomitum sæpe subito necare, si tumori (inflammationi) ventriculi supervenerit. Alias salutarem esse. Sudorem in hoc malo reprimit asperginibus. Ut thrombus sanguinis fluxum cohibeat. Debere ægros in reddendis fæcibus morari, neque continuo stimulo naturæ obedire. Dat adstringentia & lac coctum atque spissatum.

Dysenteriam chronicam (*o*) a morbo cœliaco distinguit, valde utique parum diversam, muculentum, etiam sanguineum & gelatinosum, ventris fluorem. Esse ab intestini crassi aut tenuioris ulcere. Mollientibus debere curari.

[*m*] IV. c. 1. [*n*] c. 3. [*o*] c. 6.

Colica paſſio. Fotus, vaporationes (*p*), cucurbitulæ, vaſcula, quæ dicuntur ambices: etiam venæ ſectio hic convenit; & vomitus ſi a cibo dolor natus ſit. Præterea aromatica dat medicamina: etiam acria, ipſam drimyphagiam acopa & dieuphorbium admiſcet, balneo etiam ex oleo uti jubet, demum cauteribus ignitis. Aloe hic alvum ducit.

A Lumbricis ſi ramenta (*q*) de inteſtino decedant, ex more veterum arſenicum præſcribit, ſic enim ipſe auripigmentum interpretatus. Felle taurino umbilicum obungit. Drimyphagiam imperat, uſum ſinapi, naſturtii, ſimilium, clyſteres ex oleo, ſantonicum. Ad latos lumbricos vomitus ex oleo, aqua ſalſa.

Mollitiem non eſſe verum morbum (*r*) & recte a SORANO fœdiſſimam dici paſſionem.

In Iſchiadico malo venam ſecat, cucurbitulis utitur, ſcarifat, hirudines admovet, calidiſſimis vaporibus cutim rubefacit, veſicas ſinapi trahit, etiam urit: adhibet vapores, cerotaria mollientia. Acria tamen & purgantia rejicit. Cantilenas ſpernit, SORANUM ſecutus.

Podagram accurate deſcribit; recte monet vere potiſſimum invadere. Lapidum inde concreſcentium meminit, & proprio inſtru-

---

[*p*] c. 7. [*q*] c. 8. [*r*] c. 9.

mento excidit. Clyſteres adhibet, etiam cucurbitulis ſcarifat. Mollibus utitur cataplaſmatibus, lavacris, inde ad drimyphagiam, vomitum, helleborum, aquas minerales recurrit.

Nervos non excercitos utique non putes firmiores fieri. Diuturnum medicamentorum uſum in podagra non probat, SORANUM ſecutus, & ex eo uſu amarorum & calidorum apoplexiam aliaque gravia mala dicit invaſiſſe. Sed neque uſtionem probat, neque venæ ſectionem.

In tardis veſicæ paſſionibus etiam hydatides recenſet (*ſ*). Veſicæ laxitas, ad eam fomenta frigida, vincula artubus injecta. In ſtrictura hirudines, cucurbitulæ, cataclyſmi, deinde recorporatio cum dropace, ſinapiſmis, inſolatione, ipſe helleborus.

Hæmorrhoides veſicæ (*t*).

In vomica tumor flatulentus cedens digitorum impreſſioni (*u*), & redeuns. Vomicæ variæ, etiam abdominales, & in inteſtino tenui & craſſo, in rene, utero, hepate. Dari pro puris de vomica ductu vias inconſpicuas. Potiſſimum in veſicam erumpere. Rupturam adjuvat cataplaſmatibus mollientibus. Puris occultæ viæ, vel hydropis, in quo aqua per inteſtina ſudet.

(*ſ*) c. 4. (*t*) c. 5. (*u*) c. 10.

In Polyſarcia rejicit vomitum, venerem, phlebotomiam, que debilitet & in cachexiam conjiciat.

Chirurgiam paſſim adtigit, qui etiam (*v*) peculiariter de chirurgicis dixerit.

Laureolum (*x*) deſcribit, novum inſtrumentum, quo calcem de arthriticis digitis eximebat.

Laryngotomen rejicit (*y*), & exciſionem lienis.

In clyſteris injiciendi encheireſi fuſiſſime verſatus eſt (*z*).

Paracenteſin abdominis ut probat, ita deſcripſit: fiſtulam noluit in vulnere relinqui (*a*). Incidit, tunc catheterem muliebrem inmittit; humorem ſæpe fuſcum prodire notat. In univerſum uſtioni (*b*) & acribus inſenſus; illam tamen in colica probat (*c*) ſed loco remotiori. Venam ſub lingua (*d*) & in fronte non vult ſecari, ſic neque arterias (*e*). Cucurbitulis vero (*ff*) & ſcarificatione

---

(*v*) *Chron.* IV. c. 1. L. V. c. 20 & L. II. c. 1. 4. L. III. c. 17.
(*x*) *Chron.* L. V. c. 2.
(*y*) *Chron.* L. III. c. 4.
(*z*) *Chron.* L. IV. c. 3.
(*a*) *Chron.* III. c. 8.
(*b*) *Chron.* I. c. 1. L. III. c. 4.
(*c*) *Chron.* IV. c. 7.
(*d*) *Acut.* I. c. 12. III. c. 4.
(*e*) *Chron.* I. c. 1.

frequenter utitur, & ſcarifatione, hirudinibus (*g*), atque acribus epithematibus (*h*).

Dentis evulſionem non probat (*i*), etiam minus dum dolet.

Membranam cerebri læſam frequenter (*k*) mortem inferre, non tamen ſemper.

Pulmonem ſagitta læſum convaluiſſe (*l*). Sanguinem a thrombo ſiſti (*m*).

Fiſtulam faucibus inmitti in angina rejicit (*n*).

Anatomica vix adtigit, neque ſolebant methodici. Inteſtinis pylorum non bene adnumerat (*o*). Sanguinem arterioſum a venoſo diſtinguit (*p*).

Dracunculum dixit, primus ut puto SORANUS, animal eſſe negavit (*q*).

Cæterum DANIEL CLERICUS fuſe de CÆLIO ejuſque curandi ratione, deque cyclis agit.

(*f*) *Chron.* L. I. c. 5. in præcordiis c. 6. ſecundum ſpinam dorſi L. II. c. 3. L. I. c. 29. 37. ad venculum L. III. c. 3. in angina L. III. c. 21.

(*g*) *Acut.* L. I. c. 1. L. III. c. L IV. c. 4. L. V. c. 1.

(*h*) *Tard.* L. V. c. 1.

(*i*) L. II. c. 4.

(*k*) *Acut.* L. I. c. 1.

(*l*) *Chron.* L. III. c. 12.

(*m*) *Chron.* L IV. c 3.

(*n*) *Acut.* L. III. c. 4.

(*o*) *Chron.* L. I. c. 6.

(*p*) *Chron.* L. II. c. 11.

(*q*) PAUL. IV. c. 19.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI

DE MORBIS ACUTIS.

Præloquium. . . . . . pag. 1

CAP. I. *Utrumne sint signa phreniticæ futuræ passionis.* 9

CAP. II. *Quæ sequuntur eos, qui in phreniticam passionem proni intelliguntur, quos labiles diximus.* 13

CAP. III. *Quomodo intelligitur phrenitis.* . 14

CAP. IV. *Quæ sunt huic similes passiones & quomodo discernantur.* 18

CAP. V. *Quomodo discernimus a phreniticis eos, qui furore febricitant.* 20

CAP. VI. *Quomodo discernimus dormientes phreniticos ab iis, qui in lethargicam deveniunt passionem.* 23

CAP. VII. *Quæ sint differentiæ phreniticæ passionis.* 23

CAP. VIII. *Quis locus in phreniticis patitur.* 24

CAP. IX. *Quomodo curandi ſunt phrenitici.* 26

CAP. X. *De phlebotomia.* 31

CAP. XI. *De cucurbita.* 34

CAP. XII. *Ad* DIOCLEM. 43

CAP. XIII. *Ad* ERASISTRATUM. 45

CAP. XIV. *Ad* ASCLEPIADEM. 46

CAP. XV. *Item ad* ASCLEPIADEM *phrenitico curantem.* 51

CAP. XVI. *Ad* THEMISONEM. 67

CAP. XVII. *Ad* HERACLIDEM. 72

LIBRI SECUNDI DE MORBIS ACUTIS.

CAP. I. *De Lethargo.* 81

CAP. II. *Quæ ſequuntur eos, qui in lethargiam venire poſſe noſcuntur.* 85

CAP. III. *Quomodo diſcernimus lethargicos ab his, qui ſimilibus adficiuntur.* 86

CAP. IV. *Quomodo diſtinguendi ſunt lethargi ab aliis paſſionibus.* 90

CAP. V. *Quomodo lethargi inter ſe differunt.* 91

CAP. V. *Quis locus in lethargicis patitur, & quomodo curandi ſunt lethargici.* 92

CAP. VII. *Ad* DIOCLEM. 96

CAP. VIII. *Ad* PRAXAGORAM. 97

CAP. IX. *Ad* ASCLEPIADEM, & THEMISONEM & HERACLIDEM Tarentinum. . 98

CAP. X. *De adprehensione vel oppressis, quos Græc. cataleptos adpellant.* 108

CAP. XI. *Quomodo curandi sint hac passione laborantes.* 119

CAP. XII. *Quomodo aliarum sectarum principes istam curaverunt passionem.* 121

CAP. XIII. *De pleuritica passione.* , . . 124

CAP. XIV. *Quæ consequuntur pleuriticos.* . 126

CAP. XV. *Quomodo intelligimus pleuriticam passionem in peripneumoniam transeuntem, aut in vomicam venientem.* 129

CAP. XVI. *Quis locus in pleuriticis patitur.* 130

CAP. XVII. *Quæ sunt similia pleuriticæ passioni. Et quando internoscuntur.* 133

CAP. XVIII. *Quomodo curandi sunt pleuritici.* 134

CAP. XIX. *Ad* HIPPOCRATEM. . . . pag. 139

CAP. XX. *Ad* DIOCLEM. 147

CAP. XXI. *Ad* PRAXAGORAM. . . . . *ibid.*

CAP. XXII. *Ad* ASCLEPIADEM. 149

CAP. XXIII. *Ad* THEMISONEM. 151

CAP. XXIV. *Ad* HERACLIDEM. 152

CAP. XXV. *De Peripneumonia.* 154

CAP. XXVI. *Quæ est peripneumoniæ intelligentia.* 155

CAP. XXVII. *Quomodo intelligitur peripneumonia.* 156

CAP. XXVIII. *Quis locus in peripneumonicis patitur.* 158

CAP. XXIX. *Quomodo curandi sunt peripneumonici.* 159

CAP. XXX. *De Cardiacis.* 165

CAP. XXXI. *Quid est cardiaca passio, vel quomodo ejus agnitio tradenda.* 166

CAP. XXXII. *Quomodo intelligimus eos, qui in cardiacam venire possunt, aut etiam in ipsa constitutos.* 168

CAP. XXXIII. *Utrumne febricitent cardiaci.* 172

CAP. XXXIV. *Quis in cardiacis locus principaliter patitur.* 176

CAP. XXXV. *Quomodo discernimus cardiacos ab his, qui stomacho patiente sudaverint.* 178

CAP. XXXVI. *Quomodo discernimus cardiacos ab his, qui prospero sudore liberantur, quem Græci Criticum vocant.* 180

CAP. XXXVII. *Quomodo curandi sunt cardiaci.* 182

CAP. XXXVIII. *Quomodo aliarum sectarum principes cardiacos curaverint.* 196

CAP. XXXIX. *Utrum recte* ASCLEPIADES *cardiacos curaverit.* 199

CAP. XL. *Utrum recte* THEMISON *cardiacos curaverit.* 203

LIBRI TERTII DE MORBIS ACUTIS.

CAP. I. *De Synanche.* 205

CAP. II. *Quæ consequuntur synanchicos.* . 208

CAP. III. *Quomodo curandi sunt synanchici.* 210

CAP. IV. *Quomodo synanchicos aliarum sectarum principes curaverint.* 217

CAP. V. *De Apoplexia.* 227

CAP. VI. *De conductione, quam Græci spasmon vocant, & distentione, quam tetanon adpellant, & earum speciebus.* 234

CAP. VII. *Quomodo discernimus raptum, quem Græci spasmon vocant, a tremore atque saltu.* 238

CAP. VIII. *De curatione.* 240

CAP. IX. *De hydrophobia.* 250

CAP. X. *Quæ est definitio seu agnitio hydrophobiæ.* 252

CAP. XI. *Quæ sequuntur eos, qui in hydrophobicam passionem proni ac declives esse videntur.* 253

CAP. XII. *Quæ sunt similia hydrophobiæ: & quomodo internoscuntur.* 255

CAP. XIII. *Utrumne animæ an corporis passio sit hydrophobia.* 256

CAP. XIV. *Quis locus in hydrophobicis patitur.* 257

CAP. XV. *Utrum nova passio sit hydrophobia.* 260

CAP. XVI. *Quomodo curandi sunt hydrophobi.* 264

CAP. XVII. *De acuto tormento, quod Græci ileon adpellant.* 270

CAP. XVIII. *de Satyriasi.* 286

CAP. XIX. *De Cholericis.* 291

CAP. XX. *Quæ sequuntur eos, qui cholerica massione adficiuntur.* 294

CAP. XXI. *Quomodo curandi sunt cholerici.* 296

CAP. XXII. *De fluxione quam Græci diarhœam vocant.* 306



CÆLII AURELIANI
METHODICI SICCENSIS
CELERUM
VEL
ACUTARUM PASSIONUM
LIBER. I.

Ajunt IPPALLUM Pythagoricum Philosophum interrogatum quid ageret, respondisse, (a) *nondum nihil: Nondum quidem mihi invidetur.* Si igitur proficientium testis est invidia, quæ nobis olim comes est, magna gerimus, in his (b) quæ gerimus. Placet itaque, BELLICE discipulorum summe, *Celerum Passionum* libros scribere, quos tibi utiles magis quam necessarios fore confido. Utiles inquam, ut si qua forte à *Græcis* obscurè dicta sunt, revelentur. Nonnunquam

(a) *videtur legendum* admodum nihil.
(b) quæ cum invidia gerimus.

neceſſarios: hæc enim neceſſario, in quod ſunt poſita, me tradente legiſti. Nam interrogationum ac reſponſionum libros, quibus omnem medicinam breviter dixi, jamdudum ad LUCRETIUM noſtrum perſcriptos aptiſſime deſtinavi. Is enim, ut noſti, ex omni parte Græcarum ſcientia præditus eſt literarum.

Principio te ſcire volo, omnium *celerum paſſionum* aliquas eſſe *cum febribus*, aliquas *ſine febribus*. Quarum neceſſario cum febribus, ſunt plurimæ, ut *phrenitis*, *lethargia*, *pleuritis*, *peripneumonia*. Sine febribus autem *ſynanche*, *cholera*, & id genus, ſicut ex conſequentibus docebimus. Sed exordium ſumemus ab his, quæ cum febribus eſſe noſcuntur: ſiquidem *febres ſunt acutis magis comites paſſionibus*, in quibus eſt *phrenitis* præponenda.

Nomen igitur ſumpſit a *difficultate mentis*, ſicuti & *dyſenteria*, & *dyſuria*, quod urinam vel ventrem impediant. Φρένας enim Græce mentes vocaverunt, quarum, ut ſupra diximus, impedimentum phrenitica ingerit paſſio. Nam *Demetrius* HEROPHILUM ſequens, libro ſexto quem de paſſionibus ſcripſit, hanc definiens, *delirationem* dixit *vehementem*, *cum alienatione*, *atque febre*, *deſinentem in interfectionem celerem*, *aliquando & in ſanitatem*.

Sed neque a deliratione vehementi alienationem differre quiſquam exiſtimet. Hanc ſane paſſionem non frequentius cum febribus, ſed jugiter ac neceſſario nunquam ſine febribus, eſſe accepimus, dehinc ultra diſciplinam elatus longa hoc definitione explicaſſe perſpicitur, adjiciendo, cito interficientem eſſe paſſionem, vel deſinentem in ſanitatem celerem. Erat facile *acutam* vel *celerem*

passionem dicere, quod in utramque partem ocyus feratur, & esset hoc definitioni sufficiens.

ASCLEPIADES primo libro de celeribus scribens passionibus, *phrenitis*, inquit, *est corpusculorum statio, sive obtrusio in cerebri membranis frequenter sine sensu, cum alienatione, & febribus.* Hanc ipse (c) explorans definitionem, *cum febribus*, dixisse inquit: siquidem sine his etiam mente alienantur, qui *papaver*, aut *mandragoram*, aut *altercum*, biberint, aut *immensa ira*, aut *nimio timore* commoti, vel *mœstitia* etiam compressi, aut *epileptica* sunt agitati passione, *sine consensu* (inquit) definiens, ne etiam pleuriticum vel peripneumonicum phreniticum putaremus, qui in statu vigore passionis septima vel octava die sæpe mentis erroribus agitantur.

Ejus sectatores quidam, residuam partem definitionis (d) differentes *stationem* corpusculorum vel *obtrusionem*, aiunt eum dixisse *secundum membranas cerebri*, siquidem sint etiam (e) medullarum spinæ membranæ, in quibus cum fuerit obtrusio, non ingerit phrenitim. *Pluraliter* autem usum dicunt, ut membranas diceret. Siquidem sive per multas, sive per omnes id eveniat, id si *singulariter* poneret, negaret esse in multis, sed quisquis hunc sequeretur, unius esse membranæ causam putaret. *Frequenter* autem quod adjecit definiens, quidam sequentibus adscripserunt, ut sic intelligamus, *frequenter sine consensu*: quia consensu vehemens fit aliquando phrenitis.

Alii vero antecedentibus esse inquiunt jungen-

(c) explicans, exponens.
(d) explanantes φάσιν vel ἔμφραξιν.
(e) medullæ.

dum, ut ſic intelligatur: *frequenter ſtatio, vel obtruſio;* quomodo enim febrem illam vehementem dixit, cum de cauſis tractaret, quæ per ſtationem vel obtruſionem fuerit; illam vero ſolubilem, atque levem, quæ ex turbatione fuerit liquidarum materiarum, atque ſpiritus, ſic etiam *phreniticam paſſionem* illam dixit eſſe *vehementem*, quæ *ſtatione* vel *obtruſione* fuerit effecta *corpuſculorum.*

Alii vero non, inquiunt, quod (*f*) obtruſione fiat aliquando phrenitis; id ASCLEPIADEM dixiſſe (*g*) accipiamus, ſed quia (*h*) ſola ex vehementi. Sunt etiam quædam in hominibus ſanis (*i*) obtruſiones.

Erat igitur melius, ut manifeſtis & conſequentibus verbis intelligendam traderet paſſionem, & non per occultam atque diſſonantem obtruſionem, & quæ fortaſſe neque eſſe probetur, ſicut libris quos (*k*) intra ſectas unius *ſcriptoris* auctoritate edidimus, docebimus. Sed neque oportuit eandem obtruſionem ſimul *phrenitim* atque *phreniticæ paſſionis cauſam* vocare. Siquidem vis loquutionis nihil aliud deſignat, quam phrenitim eſſe phreniticæ paſſionis cauſam.

Etenim dicere abſurdum eſt, quod ſecundum ASCLEPIADEM cauſa ea ſcriptionum ſive partitionum ſit, quas Græci *categorias* adpellant, non adpellationum, quas iidem *proſegorias* vocant: non enim alienationis aut febrium, ſed alienandi, vel

---

(f) obtruſione.
(g) putemus
(h) ſolum.
(i) ἐμφράξεις.
(k) contra.

febricitandi causas eum nominare: & sic etiam phrenitizandi non phreniticæ passionis causas dicere. Nam primum ad aliud ex alia re transire videbimur, utrum ne partitionum, sive adscriptionum, an adpellationum sint causæ: de qua re, cum de passionum causis scribere cœperimus, dicemus. Dehinc paululum progrediens, ait: *at quæ statio corpusculorum, sive obstrusio in qualibus, vel ex qualibus, corpusculis fiat, atque etiam quomodo ea quæ partibus eveniunt totum commoveant corpus, ac febres generent, in his, quæ decimo libro scripsimus, enodavimus. Nec enim febres*, inquit, *causæ generant, sed febricitare.* Oportebat autem proprie, non improprie loqui.

Alii hæc defendentes ajunt, eum verbis significasse phrenitim esse passionem ex obtrusione effectam, habereque consuetudinem, pro effectu causas ponere. Nam luem definiens, *lues* inquit, *est qualitas insueta, in his, ubi est, locis consistentium animalium, qua è communi causa facilibus morbis & interfectivis adficiuntur.* Etiam nunc luis causam pro effectu sumpsisse perspicitur. Causa etenim luis, est qualitas, lues autem declivitas in ægritudinem prona, atque (*l*) celeberrima, communibus antecedentibus causis. Et in aliis vero his utitur sæpe (*m*) sumptionibus, quas Græci μεταλήψεις adpellant, ut exempli causa, dicat densatum liquorem, pro partibus liquoris densatis: partes enim ad totum redigit. Sed neque expiant his maledicta, (*n*), sed ostendunt etiam in aliis similibus peccatis adfectum. Quærimus enim

(l) Plurimis infesta.
(m) Transsumptionibus.
(n) Verum.

non ſi conſuetudinem habuit (o) ſumptionis faciendæ; ſed utrum hæc conſuetudo recta eſſe videatur. Externa etenim ſi fuerit hæc a definitionibus conſuetudo, veniam fortaſſe merebitur: in definitionibus vero non poterit ad veniam pertinere. Oportebat enim definitive loquentem propriis uti ſermonibus, & non abuſivis, neque (p) ſumptionibus, quæ in contrarium ſæpe vocentur.

Neque nunc *obtruſio cauſa eſt phreniticæ paſſionis*, ſicut in aliis oſtendimus: Neque cauſam debuit pro effectu accipere, neque in *membranis* conſequens eſt, obtruſionem fieri, ſed in *ſenſibus*, hoc eſt in *ſenſualibus viis*, quas Græci αἰσθητήρια vocant. Omnis enim phrenitidis cauſſam vel ſubſtantiam, alienationem generaliter, communiter autem alienationis ſubſtantiam in ſenſibus conſtitututam, exiſtimavit ASCLEPIADES.

Denique in definitionum libris alienationem definiens, hoc genere explicavit: *alienatio eſt paſſio in ſenſibus*, ex qua aliquando majores intellectus efficiuntur capacitate, non conſenſu aliarum viarum; aliquando vero viæ capaciores motibus; ſed hoc (q) tardans, inquit, ac ſine febribus (r) furor vocatur, quem vulgo inſaniam dicunt: recens autem atque cum febribus, neque cum ſenſu phrenitis intelligitur. Si igitur phrenitis paſſio eſt *in ſenſu*, non recte eam principaliter definiens *obtruſionem* dicit eſſe in *cerebri membranis*.

Addo etiam fieri phrenitim ex conſenſu perſeveranti ac vehementi, ſicuti ex aliis antecedenti-

---

(o) tranſſumptionis.
(p) trauſſumptionibus.
(q) diuturnorum.
(r) μανία.

bus causis. Oportuit ergo etiam in eo quod definiens adjecit verbum, frequentiæ servare ordinem, ne dicendi ambiguitatem daret. Ex qua ejus sectatores inter se plurimum pugnaverunt. Mentitur etiam aptissime; cum suam explanans definitionem, dicit quod papaver alienationem facit. Soporiferam etenim ingerit *pressuram*. Hoc adeo defendentes quidam ejus sectatores, aiunt etiam somno fieri alienationem.

Ipse denique ASCLEPIADES in primo libro *celerum passionum*, furiosos inquit facere somnum; sic etiam alienationem faciunt. His nos respondebimus, differre pressuram a somno, quia contra naturam est. Etenim pressura intelligitur contra naturam somnus. Papavera autem pressuram, non somnum faciunt. At si accipiunt etiam pressuram somnum vocari, quæ necessario contra naturam est, oportebit etiam *lethargos* dicant alienari, & erit definitio *phreniticæ passionis lethargiæ* communis. Et in lethargis obtrusio est secundum ASCLEPIADEM in membranis cerebri cum febribus ac sine consensu. De hinc etiam in furore non febricitantium communis erit definitio, in his enim, ipse ait, obtrusionem in membranis cerebri frequenter sine febribus, atque cum alienatione effici.

Huic occurrentes quidam ajunt quod inquit, *cum febribus*, duo significare. Unum quod *tardantem* cum membranarum obtrusione longi scilicet temporis *febrem* significet, & non ex ipsa sumpserit exordium: aliud cum febribus quidem, sed ex causa obtrusionis membranarum natis, febres oriuntur parvæ atque mitiusculæ, cum in minutissimis fiunt plagæ sive (f) percussa, atque

(f) percussus.

adfricationes, quæ corpori minimum accendere fervorem poſſint. Sed etiam nunc confitentur confuſum dictum, ſi ex hoc duo ſignificat, alterum ex his verum, alterum falſum. Dehinc febrem fieri in phreniticis ex obtruſione membranarum (*t*) ſolitum accipiamus, eorum tamen dictis id repugnat. Additur enim alienatio febribus, denique etiam obtruſio ex qua alienatio fiat. Quod igitur ſecundo ſequitur, cauſa prioris eſſe non poteſt.

Addo etiam febrium, quæ per totum corpus exardeſcunt, cauſam ex obtruſione membranarum factam, qua totum corpus accendatur, ratione carere. Etenim in *epilepticis*, quibus etiam (*u*) raptus omnium membrorum ex cerebri membranis, atque majore cauſa ſecundum ASCLEPIADEM (*x*) deſcendit, quapropter etiam phlebotomiam probat adhibendam, oportebat magis ac vehementius febrem accendi. Siquidem majora corpuſcula majoribus miſta cum toto majores faciant plagas, ſive percuſſiones & adfricationes. In libris denique definitionum, phrenitim inquit eſſe alienationem repentinam cum febribus. Sed etiam (*y*) novus furor, quem inſaniam vocant, ſæpe movetur cum febribus.

Nos igitur manifeſte atque breviter, quantum res patiuntur, intelligentiam, ſive definitionem paſſionis trademus, dicentes, *phrenitim eſſe alienationem mentis celerem, cum febri acuta, atque manuum vano errore, ut aliquid ſuis digitis ad-*

(t) ſolitam.
(u) convulſiones.
(x) confcendit.
(y) ſubitus.

trectare videantur, quod Græci (z) κροκιδισμόν, sive (aa) καρφολογίαν vocant, *& parvo pulsu ac denso.*

CAPUT I.

Utrumne sint signa phreniticæ futuræ passionis.

DEhinc quærendum, utrumne sint *signa phreniticæ futuræ passionis?* Nam multi sectarum principes, inter quos fuit & ASCLEPIADES, signa futuræ passionis posuerunt. At THESSALUS & ejus sectatores, id posse fieri negant, dicentes, quia si futuræ *phreniticæ passionis signa* vera atque necessaria fuissent, oportebat omnes in iisdem constitutos necessario esse phreniticos. Nunc vero quidam cum his adficerentur signis, in phreniticam passionem non venerunt. *Secundo* oportebat etiam aliarum passionum futurarum esse signa. Nullius autem futuræ passionis signa esse perspicimus. Neque igitur phreniticæ passionis esse posse signa credamus. Sed neque præstantius (*a*) quicquam antecedentium causarum, ut adustio, cruditas, vinolentia, atque exercitium post cibum, vel mansio sive somnus in speluncis (*b*) confertur, aut nova politura (*) in muris (*c*) parietis cubiculorum. Hæc alias quoque passiones ingerunt generaliter, ut *lethargium*, *apoplexiam*,

---

(z) floccorum collectionem.
(aa) festucarum collectionem.
(*a*) aliquid quam antecedens caussa.
(*b*) adfertur *subint.* pro signo.
(*) positura?
(*c*) & parietibus.

epilepsiam. Neque multos, tempore certo, specialiter phreniticam incurrere passionem, ut autumno vel alio quolibet, firmum esse credamus. Incertum est enim, siquidem non omnes phrenitici efficiantur, sed alii diversis adficiantur passionibus. Neque etiam vigilare, ac jugiter cum dolore (*d*) urinam reddere parvum, vel plurimum, atque gravedine vel dolore capitis, vel occipitis, vel clunium adfici, aut oculorum rubore, certa signa sunt. Hæc enim signa communia sunt passionum, quæ *vexata membrana cerebri* fiunt, atque inde male laborantium ægrorum, nec necessario omnium, ac semper *phreniticorum.* Dehinc audacia sine ratione, vel e contrario securitas & hilaritas, non futuram, sed præsentem alienationem designant.

Hæc expugnantes ASCLEPIADIS sectatores contra *primum* responderunt; quanquam, inquiunt, signis futuræ passionis ægri adfficiantur, ratione tamen certa non in ipsam plerunque veniunt, siquidem imminentem passionem (*e*) cohibeat medicinalis vera curatio, quod inquiunt debemus definitione explicatum accipere. Etenim furore febricitantium, non ex obstructione membranarum, quæ non sinat, initium sumere.

Non igitur negant *signa* fuisse futuræ passionis. Dehinc signorum quædam inquiunt secundum ASCLEPIADEM esse necessaria, ut cordis vulneratio mortis signum: quædam non necessaria, sed frequenter futura significantia, sicut membranæ capitis vulneratio moriturum vulneratum signifi-

---

(*d*) urinæ.
(*e*) inhibeat.

cat, frequenter enim hoc, non jugiter, ac necessario contingit. Futuræ igitur phreniticæ passionis signa frequentiam non necessitatem futurorum (*f*) designantia, quapropter manet genus futuræ phreniticæ passionis in signis, quanquam non necessario in eam veniant ægrotantes. Contra *secunda* vero hæc (*g*) probaverimus, & de singulis scribentes docebimus.

Dehinc potest etiam soli phreniticæ passioni hoc privatum inveniri; ut enim ab aliis passionibus differt, sic etiam cum nondum est, (*h*) differre cæteris; respondentes aiunt, antecedentes causas quas *procatarcticas* adpellant, singulares quidem, non esse futuræ passionis signa, ut neque rem sine tempore, neque (*i*) concurrentia, ut forte *oculorum sanguinolentia*, vel *capitis gravedo*, sed in unum coacervata, atque concurrentia omnia. *Audacia vero sine ratione, atque hilaritas, certa significatione indicant signa futuræ phreniticæ passionis:* Nam sicuti & in (*k*) externis, præsentia parvitate (*l*) jam latentia pro futuris accipimus. Igitur THESSALUS primo libro diætetico præcepit, *phlebotomari in strictuam magnam venturos;* atque hos ita designat, *jugiter febricitantes, & usque ad dimissionis tempus submerso pulsu adfectos, frequenter vel cum dolore urinam reddentes;* cum hæc præsentis jam sint vehementiæ signa, non futuræ. Ex ea enim significatione futuram

---

(*f*) designare.
(*g*) probabimus.
(*h*) differre causam ejus a.
(*i*) symptomata quæ morbum sequuntur.
(*k*) adfectibus & morbis.
(*l*) adhuc.

dicunt intelligi *phrenitim*, quæ non (*m*) naturalis eſt, ſed multorum placitis firmata.

Dehinc præſentis paſſionis ſigna neceſſaria eſſe confitentur. Aiunt enim quædam eſſe, quæ futura denuntient, quædam quæ ſæpe futura, quorum ſecunda futuræ phreniticæ paſſionis eſſe dicunt, ſiquidem non neceſſario ſequitur. Quid enim eſt *repugnans?* omne etenim ſignum ad eam rem quam (*n*) ſignificaverit intelligitur: eſt enim ex his, quæ ad aliquid intelliguntur. Quomodo igitur ſignum vocari poteſt, cujus non ſolum præſens non eſt quod (*o*) oſtenderit, verum etiam in quibuſdam neque erit.

Secundum nos itaque *declivitatis atque pronæ ægritudinis in phrenitim ſignum recte nuncupatur*, ut labiles in paſſionem, ægros pronuntiemus, quos Græci ἐπινόσους totius adpellatione vocant. Ipſius enim verbi qualitas, ſive veritas excuſſa, deſignat aliquid eſſe, *quo res ferantur*, *nec tamen neceſſario venturæ*. Signa igitur res ipſa ſemper præſens, quæ ſignificatur, oſtendit, qua ſæpe etiam futura noſcuntur. Alia vero eſſe *ſigna declivitatis in phrenitim*, alia in *lethargum* atque cæteras paſſiones, ex his reddere (*p*) cœperimus, cum ſua ſuis manifeſtabimus.

(*m*) neceſſaria.
(*n*) ſignificat.
(*o*) oſtendit.
(*p*) incipiemus.

CAPUT II.

Quæ sequuntur eos, qui in phreniticam passionem proni intelligantur, quos labiles diximus.

IN *phreniticam* igitur *passionem pronos* vel declives sequitur *febris acuta*, atque difficile ad superficiem corporis ascendens, *pulsus* (*a*) *humilior*, *densior*, *vultus subinflatus*, sive plenus, *sanguinis per nares destillatio*, *vigiliæ juges*, aut *turbatus somnus*, & *insania turbulenta*, *mentis solicitudo*, *ac pravitas sine ratione*, *frequens tergorum est* (*b*) *versio jacendi cum capitis adsidua commutatione*. Aliquando etiam *sine causa hilaritas*, *oculorum rubor cum levi lachrymatione*, & *circumjectio manuum sine ullo capitis dolore*, *articulorum frigus sine* (*c*) *tremore*, *urinæ abundantia flavæ*, *aquatæ*, *tenuis*, & *paulatim exclusæ*. Aliquibus etiam *sonitus capitis*, atque *aurium tinnitus*: dolor quoque capitis repente non quiescens; *nulla ex manifesta ratione præcordiorum etiam tensio*, *visus adtendus*, vel *frequenter palpebrans*.

Quidam *Medici*, ex quibus sunt ASCLEPIADIS sectatores, etiam adtendunt *aeris qualitatem*, quam Græci κατάστημα vocant, & *tempus*, & *antecedentes causas*, & *naturam*, & *ætatem*. *Aeris* inquiunt habitum, ne is calescat, quod ejus causis plurimos adficiat, ut sæpe oculorum indu-

(*a*) obscurus.
(*b*) inversio jacendo, vel jacentis.
(*c*) febrili.

cat *lippitudines*, vel *ulcera*. *Tempus* autem, ut æstatis finem vel autumnum. In his enim ajunt hanc frequentare passionem. *Antecedentes* inquiunt *causas*, ut vinolentiam vel vigilias, ac juges (*d*) adustiones: *naturam* inquiunt ægrotantis, ut si fuerit mente mobilis, atque iracundus, vel in *disciplinis litterarum exercitatus*, aut capite debilitato, & facile inflationem sentienti, vel si quoties ægritudine adficitur, facile alienatione vexetur: *ætatem* inquiunt si *juvenis*. Omnia quidem sunt providenda, non enim ex uno vel duobus, sed ex multis concurrentibus, significatio firmatur: unum etenim quiddam commune est. At vero in unum conveniens multorum concursus, (*e*) dscretionum facit intelligentiam (*f*) prominere.

(*d*) in sole moram & balneis.
(*e*) morborum differentiæ.
(*f*) eminere.

CAPUT III.

Quomodo intelligitur phrenitis.

INtelligimus phrenitim ex toto signorum concursu. Unum etenim singulare quicquam, ut est alienatio, vel febricula, non designat phreniticum, sed si multa concurrerint, quæ nihil aliud quam passionem designent, ut sit (*a*) significatio, quæ ut supra diximus ex multis confecta, unum faciat signum, & significans ejus rei

---

(*a*) ἔνδειξις.

quam demonſtrat. Quare, ut dixi, intelligimus *phrenitim ex concurrenti febre acuta, & alienatione, & pulſu parvo atque crebro, atteſtante carphologia & crocidiſmo.* Ex his enim intelligitur *paſſionis genus.*

Magnitudinis vero atque *proprietatis differentiam*, plurima atque alia ſunt quæ deſignant, a Græcis ſymptomata adpellata, ut febres continuæ, vel hemitritææ, vel inæquales, adque ſuperficiem corporis difficile adſcendentes: alienatio intra diatritæum, vel poſt diatritæum tempus, jugis aut intercapedinata, cum riſu tacito, aut cum cachinno, & cantilena, vel certe mœſtitudine, ſilentio, vel murmure, aut vagitu, aut levi ſecum ſua ipſius muſſitatione; vel mentis indignatione, ut in furore exiliens *difficile teneatur*, atque omnibus *iracundus ſit*, & exclamet; vel *ſeſe percutiat*, aut ſuam *veſtem* atque propinquantium *ſcindat*, aut metu ſe abſcondendum exiſtimet, aut lachrymetur, atque ſecum loquentibus non reſpondeat, cum loquatur tanquam viſis, & non ſolum non viſis, ſed etiam mortuis: & neque *potum poſtulet*, neque *cibum*; aut acceptum vehementer invadat, & (*b*) immaſticatum tranſvoret: aut maſticet, neque tranſvoret, ſed in ore contineat, & poſt paululum projiciat: *lucem* quoque aut *tenebras* fugiat, adſint etiam *vigiliæ juges*, aut *parvus & turbulentus ſomnus*, *oculi ſanguinolenti*, cum *tenſione venarum* ſuarum, & *fixo viſu* atque ſine ulla *palpebratione*, aut multum mobili, & cum jugi palpebratione: aliquando etiam manuum ante oculos præmiſſio, quaſi ali-

(*b*) i. non maſticatum.

quid adprehendere, vel detrahere volentium; quod aut inhæsisse oculis, aut ante volare ægrotanti videatur. *Vultus* etiam quibusdam (*c*) *collectus* atque *conductus*: *genarum rubor* perseverans, aut per intervalla in *pallorem* mutatus: *capitis siccitas* quæ statim ebibat fomenti liquorem: *dentium stridor*: guttæ *sanguinis* levissimæ per *nares*, *capitis* frequens (*d*) alienatio, cum *aurium* intentione, ut aliquid audire videatur: indecens *jacendi* positio: *pedum* quoque jugis ex alto *submissio*; corporis (*e*) *vacua fortitudo*: *articulorum jugis torpor*: *raptus* etiam vel adtractio *cooperimentorum* a pedibus ad superiora: *ventris fluor*: urinæ aquatæ, vel felleæ cum nubeculis portentosis: ultimo quibusdam etiam *vultus* (*f*) *mortuosus*, aliis cum collo *subinflatus*; *manuum tremor*: pulsus creberrimus, atque *submersus*, & *tremulus*, & imbecillis, aliquando etiam deficiens, & in similitudinem oleo defecti luminis marcescens: *præcordiorum* vehemens *tensio* atque ad superiora adductio: *singultus*, *linguæ impedimentum* atque loquutionis (*g*) inadprehensibilis articulatio. Dehinc quibusdam (*h*) *diaphoresis* quibusdam *spasmus*, aut (*i*) *pressura*, quæ *lethargicam passionem*, attestantibus cæteris denuntiet: hæc pulsus inducit ce-

(*c*) Collapsa facies & distorta.
(*d*) Situs matatio.
(*e*) Vana: cum aliquid summo conatu, sed frustra, efficere tentant.
(*f*) Cadaverosa facies.
(*g*) Quæ intelligi non potest.
(*h*) Leipothymia; virium dissolutio.
(*i*) Somnus altus & profundus.

cit celeres, multos ac parvos ſaltus. In magnitudinem erectio quæſita, & ægrotanti incongrua atque ſubinanis. Relevatis autem atque ad (*k*) ſedem pergentibus omnia ſupradicta minuuntur.

Gravius autem ac *perniciose* adfici dicimus eos, quos ut ſupradictos plurima atque varia fuerint ſecuta jugiter & ſine ulla indulgentia laxamenti. *Pejus* autem laborare dicimus eos, qui poſt primam diatriton fuerint hac adfecti paſſione, quam qui ante ipſam. Etenim præſauciatis viribus quicquid adhibetur, grave atque (*l*) indignum eſt adjutorium (*m*), vel phlebotomice, quæ principaliter temporis cauſa adhiberi prohibetur.

Exitialiter etiam adfici dicimus eos, qui aſperrimi atque audaces fuerint ægrotantes. Inſontine etenim etiam ſani iracundi eſſe perſpiciuntur. Nec non etiam qui ſubridere videntur, & *ſtridore dentium*, aut *ſingultu* adfici. His etiam *ſpaſmus* imminere ſignificatur. *Gravius* etiam ſi mutabiles fuerint colore, & tremuli, & *ſtertentes*, aut (*n*) faſtidioſi per omnia.

Aliarum vero principes ſectarum juxta ætatis differentiam *gravius* adfici dicunt, juvenes cæteris ætatibus: juxta ſexum & naturam viros (*o*) ac fœminas, quomodo etiam ſapere plus eſt in juvenibus (*p*) atque (*q*) majoribus. Majus enim

---

(*k*) ſanitatem.
(*l*) incongruum.
(*m*) imo & ipſa phlebotomia.
(*n*) ἀσωδεις.
(*o*) i. e. quam.
(*p*) i. e. quam.
(*q*) ſenibus: natu grandioribus.

fit malum, (*r*) firmitate reliqua adjutum. Dehinc etiam qui natura fuerint tristes, & in passione cum (*s*) ridiculo deliraverint, aut rursum hilares natura, atque cachinnosi, cum iracundia & mœstitudine ægrotantes gravius adfici dicunt. Siquidem nulla vestigia ex his quæ sanitati fuerint consueta, remansisse videntur. Nos vero dicimus communiter graviter laborare, quos passionis adficit magnitudo. *Illud enim semper in ægritudine magis adficit, quod a natura plurimum recesserit.*

(*r*) i. robore & juvenilis ætatis viribus.
(*s*) Risu.

CAPUT IV.

Quæ sunt huic similes passiones, quomodo discernuntur.

SIMILES sunt atque vicinæ phreniticæ passioni ex ipsa alienatione, (*a*) *furor*, quam vulgo insaniam vocant, *melancholia*, *pleuritis*, atque *peripneumonia:* quæ sæpissime accessionis tempore alienationem faciunt. Item (*b*) mentis alienatio in his qui *mandragoram*, aut (*c*) altercum biberint. Internoscuntur autem furentes atque melancholici a phreniticis: siquidem (*d*) alienatio sine febricula, atque crocidismo, vel carphologia esse

---

(*a*) mania.
(*b*) μώρωσις.
(*c*) hyoscyamum.
(*d*) nimirum in furiosis & melancholicis.

videtur. Dehinc tarde ſæpiſſime finit, atque ſine paſſione. Item *melancholia fellis nigri vomitum* facit, ſtomacho patiente, aut plus a cæteris corporis partibus ægrotante (*e*). Præſtantius autem odiſſe homines facit, atque vultus colorem plumbeum.

Item *pleuritis & peripneumonia*, & omnes paſſiones, quæ ex dolore acceſſionis tempore alienationem faciunt, internoſcuntur hoc modo. Primo quod cum dolores aſperantur; extenditur atque conſurgit alienatio, & eorum (*f*) indulgentia minuitur, quippe levis atque ſolubilis deliratio. Nam phreniticorum etſi ex conſenſu fuerit facta, tamen non ſemper acceſſionibus aucta, aut demiſſionibus minuta, ſed magis intardans atque perſeverans perſpicitur.

Si vero poto malo medicamine, vel alterco alienentur, diſcernuntur ſecundum interrogationem præcedentes cauſæ. Sed quia etiam de medicamine poto poteſt phrenitis evenire, (non enim præordinatæ atque fixæ ſunt neceſſario ejus antecedentes cauſæ) ad interrogationem præcedentium cauſarum æger non credibilis eſſe poteſt; item externi, hoc eſt, ab ægro alieni antecedentia neſcire poſſunt, potius differentiam accipimus, ut ſi non febricitat, hoc ſit ſignum internoſcendarum cauſarum: ſi autem febricitat, ut crocidiſmus atque carphologia & denſitas pulſus abſint. His enim qui mandragoram vel altercum biberint, rarus eſt pulſus.

(*e*) obſtinatius.

(*f*) laxamento, mitigatione.

CAPUT V.

Quomodo discernimus a phreniticis eos qui furore febricitant.

QUANDO furentes sive insanos a phreniticis *sola febrium sinceritate* omnes sectarum principes secreverunt, & sæpe etiam febris ex aliis causis his passionibus incidit, oportebat hos etiam cum febribus furore delirantes a phreniticis discernere: non quidem mutandæ curationis: omnes etenim passiones celeres supradictæ, atque tardæ, sed (*a*) insuper positione constitutæ, quam Græci ἐπίθεσιν vocant, laxativa atque mitigativa indigent curatione. Sed ad demonstrationem, quo possemus etiam specialium uti discretione, hæc posuimus.

Est autem utilissimum etiam localibus adjutoriis, ut patientibus locis, vel plus patientibus curationem adhibeamus. Nam *phreniticis* atque furiosis *caput* magis, *melancholicis stomachus* patitur. Igitur non febricitare furiosos (*b*) percunctatum non est sive universale, quod Græci καθολικὸν vocant, sed est discrepatione partile. Siquidem, ut diximus, quidam febribus adficiantur, sed phrenitici acutis, vel celeribus, furiosi vero tardis; quanquam sit etiam hoc insufficiens discretioni, propter eos qui repentino furore agitati febricitant.

Remanet, ut ordine accidentium discretionem

(*a*) humoris vitiosi plenitudine & abundantia.
(*b*) ἀξίωμα.

faciamus. Præcedit enim febrem in furiosis alienatio, in phreniticis vero febricula alienationem: sed quia aliquando potest furentum alienatio concurrens febriculæ latere, aut ordinis, aut interrogationis, ut supra diximus causa, si quidem ab ægro narrari non possit, advertamus in *phreniticis parvum atque crebrum esse pulsum necessario*, in *furiosis* vero *majorem*. Sed quia initii, vel augmenti accessionis febrium par in his atque creber pulsus esse potest, declinationis autem atque (*c*) indulgentiæ major, illud advertere debemus: quia in phreniticis etiam tunc parvus atque densus perseverat, ut discretionem magis ex pulsu faciamus; quanquam etiam ipsa infirmetur sæpe febrium (*d*) nequitia, qua ut in aliis passionibus, sic etiam in furiosis, pulsum parvum atque densum servat, ita discerni vel internosci potest, cum neque *crocidismum* in ægrotantibus viderimus, quod est ex operimentis fimbriarum veluti decerptio: neque *carphologiam*, quæ est festucarum levium a parietibus veluti detractio, quam necesse est phreniticos facere. Quæ denique si furiosis advenerint in febribus constitutis, in phreniticam passionem ex insania venisse pronuntiamus, tanquam rursum, & phrenitica passio recedentibus propriis signis, hoc est, supradictis in furorem transeat. Non aliter quam si etiam aliis id testantibus signis, in lethargiam veniant, vel certe relevati ex lethargia, in phreniticam redeant.

(c) remissionis.

(*d*) malignitas κακοήθεια.

CAPUT VI.

Quomodo discernimus dormientes phreniticos ab iis qui in lethargicam deveniunt passionem.

(*a*) QUOMODO *phrenitici* aliqui augmento passionis in *lethargiam*, aliqui declinatione in *somnos* devenerint, & cum aspectu commune sit, quod utrique non sentiunt (*b*), atque multos inexercitos *Medicos* errore fefellerint, ut dormientes tanquam depressos excitarent, aut (*c*) oppressos tanquam dormientes sine adjutorio passioni traditos, reliquissent; utilem ducimus eorum discretionem faciendam.

Discernuntur igitur *colore*, *charactere*, *respiratione*, *pulsu*, *tactu*, *schemate jacendi*, *febrium magnitudine*.

Colore inquam; dormientium enim (*d*) mundum corpus atque (*e*) floscule vividum, & naturali habitudine plenum. Oppressorum vero in lethargica passione pallens, vel plumbeum, vel quolibet alio colore adfectum, invenitur. *Charactere* autem dormientium hilaris, lethargicorum tristis invenitur. Item *spiratio* dormientium ordinata, lethargicorum tarda esse probatur. *Pulsu* etiam discretionem facimus, qui quanquam utrique subinflatur atque major, tamen cum ina-

(*a*) cum.
(*b*) cumque.
(*c*) lethargicos.
(*d*) nitidum.
(*e*) florido.

nitate in lethargicis, cum plenitudine in dormientibus invenitur.

Tactu autem lethargicis etiam præcordia distenduntur plurimum, & totum corpus durius fit, ob nimiam *stricturam*: dormientibus vero e contrario, quia strictura minuitur, etiam præcordia *relaxantur*, & totius corporis tactus mollior efficitur. *Schemate jacendi*, discretio fiet: Siquidem lethargici a capite lecti ad pedum loca labantur, & incomposito, vel indisposito jaceant corpore; dormientes vero congrua naturæ positione cernantur.

Magnitudine inquam *febrium*: dormientium enim minor ac lenior, lethargicorum major atque aspera febricula invenitur. Quapropter observanda sunt etiam *tempora*, si enim in *declinatione passionis*, & in dimissione vel declinatione accessionis sensus ægrotantium quieverint, intelligimus *somnum*. Si vero in *augmento passionis*, vel accessionis, & magis in ejus initio, vel augmento id acciderit, *lethargum* pronuntiamus.

CAPUT VII.

Quæ sint differentiæ phreniticæ passionis.

DIfferentias phreniticæ passionis quidam ex *accidentium proprietate* faciendas existimant. Aiunt denique aliam esse alienationem cum risu, atque puerili saltatione, aliam cum mœrore, atque exclamatione, vel silentio, aut timore. Nos vero aliam dicimus esse ex *strictura*, aliam ex *complexione strictura atque solutionis*. Est enim

(*a*) verum ita discernere, ut non accidentium diversitas passionis differentias ostendat, sed generalis quædam ac necessaria designatio, quæ fit ut supra diximus ex *principalibus passionibus*, unde etiam *curationum ratio* sumatur.

(*a*) Æquum.

CAPUT VIII.

Quis locus in phreniticis patitur.

QUæsitum etiam quis locus in phreniticis patitur, & magis a *Principibus* aliarum sectarum, ut secundum differentiam *patientis loci* curationes adhiberent, & *localia* locis *adjutoria* compararent. Nos autem sive *locorum* sive *vicinitatis* eorum causa generalem curationem non mutamus. Non est enim sub eodem (*a*) genere (*b*) jacens locorum necessaria differentia.

Aliqui igitur *cerebrum* pati dixerunt: alii ejus *fundum*, sive basin quam nos *sessionem* dicere poterimus: alii *membranas:* alii & *cerebrum* & ejus *membranas:* alii *cor:* alii *cordis summitatem:* alii *membranam*, quæ cor circumtegit: alii *arteriarum* eam quam Græci ἀόρτην adpellant, alii *venam crassam* quam iidem φλέβα παχεῖαν vocaverunt: alii *diaphragma:* & quid ultra (*c*) tendimus quod facile explicare possumus, si id quod senserunt dixerimus? Nam singuli eum locum in phreniticis

---

(*a*) morbi.
(*b*) jacentium: *alii*, patientium.
(*c*) orationem proferimus.

pati dixerunt, in quo *animæ regimen* esse suspicati sunt. Denique singulorum judicium atque adsertionem pertractantes, expugnabimus *libris* quos de *passionum causis* scribemus.

Nos igitur communiter *totum corpus* pati accipimus, etenim *totum febre* jactatur (*d*). Implet denique phreniticorum significatione *febrium signum*, quapropter *totum corpus* curamus, sed *plus* pati dicimus *caput*, etenim antecedentia demonstrant signa, ut ejus *gravedo*, *tensio*, *dolor*, *sonitus*, *aurium tinnitus*, *siccitas atque sensuum impedimentum*, & cætera quæ jam passionis præsentis esse signa noscuntur: *singuli sensus* suo carent *adprehensionis officio*, *palpebra dura*, *oculi sanguinolenti*, *ac prominentes*, *genarum rubor*, *venarum extensio*, *vultus inflatio ac plenitudo*, *linguæ asperitas*. Eos vero qui nos ex *naturali tractatu*, quam Græci *physiologiam* vocant, *patientem locum* adprehendere dixerunt, (siquidem prænoscentes animæ regalia in capite constituta, exinde mentis alienationem capitis offensa fieri acceperimus) ita expugnamus, ut primo regale locum (*e*) internum remanserit. Sed nos varietas atque multitudo accidentium in capite signorum, plus (*f*) a cætero corpore docuit id pati.

Sed aiunt *faciem* magis, plurimisque signis adfici, & propterea huic esse adhibenda adjutoria. Nunc vero cucurbitam occipitio adponitis, quasi quidem per *apertionem*, quam Græci *Anatomiam* dicunt, didiceritis *sensuales vias* inde sumere exor-

---

(*d*) impletur, *alii* implicatur.
(*e*) i. e. obscurum & ignotum.
(*f*) pro *quam cæterum corpus:* ut AUCTOR passim habet.

dium. Hic (*g*) rurſum ſimiliter eos peccare perſpicimus. Etenim *faciem* non curant *cataplaſmate*, atque *vaporatione*, atque *occipitium* tanquam *dolens* & *extentum* adpoſita *cucurbita* (*h*) ſcarificamus, ſicut etiam alias partes, atque præcordia, ſi in tumore fuerint conſtituta. Explicata varia paſſionis (*i*) *adprehenſione* ad ejus *curationem* tranſeamus.

(*g*) prorſum pueriliter.
(*h*) ſcarificant.
(*i*) cognoſcendi modo.

CAPUT IX.

Quomodo curandi ſunt phrenitici.

(*a*) QUomodo curationibus principio *locus* aptandus eſt, jacere oportet phreniticos in *loco omni ex parte devio*, ne aliqua tranſeuntium voce pulſentur: *feneſtris* etiam *altioribus* (*b*) luminato. Sæpe enim in hac paſſione conſtituti alienationis cauſa ſeſe præcipitantes latuerunt. Dehinc ob *obſcurationis* proprietatem *ſtrictura* laborantes, in *lucido* atque *tepido* & *amplo* mediocriter locamus. Etenim ultra modum *fervens aer* naturaliter febricula caput incendit, & rurſum *frigidus* conſtringit, atque corporis auget *denſitatem*. Item *nimium lucidus* membranam

---

(*a*) pro *quandoquidem*, *quoniam*, *quemadmodum*, ut AUCTOR paſſim habet.
(*b*) illuminato.

percutit cerebri immodici ſplendoris cauſa. *Parvus* etiam locus ſi fuerit atque humili tecto, *ſuffocabilis* erit aeris paupertate.

Sit etiam ſine ullo *picturæ* figmento, ne viſa ægri ex picturis mente accipientes, quæ Græci φαντάσματα vocaverunt, plus *aſperentur*, ut in *riſum* ſolvantur, maxime cum ratione careat, *multorum ingreſſum aut frequentiam* prohibere, & *pictura* occaſionem lacerandæ mentis adquirere, cum jugi viſu falſa coguantur pro veris accipere. Hinc etiam *ſplendidi colores* parietum ſive (c) *ſtraminum*, vel operimentorum prohibendi: reſultantes enim, ut ita dixerim, percutient viſum.

Solutione autem obtinenti laborantes e contrario jacere oportet *loco medie obſcuro*, atque *refrigeranti*; neque enim nimium *frigidus*, neque *obſcurus* paſſionis mitigare celeritatem poteſt. *Stramenta* etiam omnibus *mollia* atque operimenta conveniunt: ſed *tenuia*, *ſolutione* laborantibus; *corpulenta* vero atque calida, *ſtrictura* adfectis. Sit etiam *lectus* omni ex parte firme locatus, ut cum fuerint impatienter jactati, vel neceſſitate cogente devincti, *immobilis* perſeveret, *foribus* etiam atque *feneſtra* averſi, ne *ingreſſu hominum* aſperentur.

At ſi etiam *alienatio* fuerit *principali paſſioni contraria*, ut *ſtrictura* laborantes *lucem odiſſe* faciat, *ſolutione* laborantes *tenebras*, oportet aliis *oculos contegi*, aliis tenue atque *blandum lumen* immittere, *lucernæ*, aut *lucis ætheriæ*, ſed *arguto uſu* machinatum, quo velut per quandam *cavernam*, ægrotantis *vultum* perfundat, & *nullas* tangat alias *corporis partes*. Sic etiam mitigabitur *alienatio-*

(c) ſtragularum.

nis augmentum, & *adjutorium* id paſſioni aptum congrue ſervabit qualitatis effectum. *Laxat* enim, ut ſupra diximus, *lux*, colore, quo videtur, ſed conſequenter neceſſario ſuæ tenuitatis cauſa manet cætero circumfuſa corpori tametſi non videatur. Similiter etiam *obſcuritas* vel *tenebræ* ſi fuerint ægrotantibus *odioſæ* & curationi *neceſſariæ*, erunt artis aſtutia componendæ.

Sed ſi ita fuerint *alienatione* commoti, qua *obſcurari* totum vel *luminari* velint, erit (*d*) conjiciendum, ut quibus *obſcurum* aerem fecerimus, *calidum* tamen faciamus, quibus autem *lucidum* e contrario *frigidum* faciamus, ut & *congruam* paſſioni ſervemus *qualitatem*, & eorum *furorem mitigando* non aſperemus. Si vero nihil ægrotantes prava cupiditas turbaverit, ſervabit *lucem ſtrictura*, *obſcuritas ſolutione* laborantibus adhibenda. Vel (*e*) quomodo *turbatio* atque *motus* & *jactatio corporis* celeritatem *aſperat* paſſionis, erit aliquando mitigandi furoris cauſa *ægrorum voluntati ſerviendum*: *ſtringitur* enim magis *ſolutio*, vel *ſtrictura laxatur*, ſi gravioribus averſis parva *contrarietate* vexentur: ſive ſtrictura laborantibus obſcurum, ſive ſolutione laborantibus lucidum adhibendum judicamus locum.

Dehinc ſi *ſtrictura* (*f*) obtinuerit, convenit ægrum uſque ad *acceſſionis declinationem vigilare*, tunc ſomno dimitti. At ſi *longa* fuerit *acceſſio*, etiam *ante dimiſſionem ſomnus* poterit adhiberi. Major enim *ab* (*g*) intemporali ſomno *vigilia-*

(*d*) probe noſcendum.
(*e*) quoniam.
(*f*) ſolutionem vicerit.
(*g*) intempeſtivo.

rum eſt *vexatio*. Siquidem etiam vires ægrotantis inſinuat. Dehinc (*h*) judicio noſtro abſtineri vel tolli non poteſt, *ſomni* autem *intemporalitas* ſi fuerit interrumpenda, *excitare* dormientem poterimus, atque *ſoporis oppreſſionem* prohibere. *Deliationes* vero *ægrotantium* uſo dextero atque *artificio* (*i*) ſervientes accipere & tolerare debebunt, ut aliis adſentiant, alias vero conſentientes redarguant, ne *frequenti correctione aſperos faciant ægrotantes*.

Denique ſi quos *ſanitatis tempore inviſos* habuerunt, intrare prohibemus, ne his viſis aſperentur. Eos vero quos *metu* aut *verecundia* coluerunt, per intervalla intrare permittimus: *parit enim frequentia contemptum*.

At ſi *exilire* de lecto viderimus *nimietate furoris*, melius erit plurimis uti ad remedium miniſtris, ſed qui poſſint (*k*) lenitate retinere, ut etiam laxamentum ſtricturæ præbeamus. Vel ſi defuerint qui ut ſupra diximus teneant, aut ipſorum viſu commoti fuerint ægrotantes, *ligationibus* utimur, ſed *prætectis lana* aut *veſte locis*, quos vinculis nectimus, ne major utilitate quieſcendi imprimatur vexatio. *Ligationibus* etenim *immodice conſtricta*, neceſſario tumeſcunt, propterea omnis in pejus extenditur paſſio.

Si *linguæ* atque *totius oris ſiccitas* fuerit, oportet *ſpongia tenera*, *aqua calida infuſa atque mediocriter expreſſa*, *ſenſim univerſa quæ* (*l*) *ſiccave-*

(*h*) i. arbitrio.
(*i*) famuli ſ. miniſtri.
(*k*) i. leniter.
(*l*) ſiccata ſunt.

runt, *humectare*, *non sine cautione*: adjunctos enim sæpe *digitos* spongiæ, alienatione coacti ægri *momorderunt*. Quapropter, si fieri poterit, cogendi sunt, ut *exerant linguam*, atque ita supradicta faciamus.

Declinante accessione, hoc est, cum *è visceribus reclusus fervor ad superficiem corporis atque articulos venerit ægrotantis*, *pulsus quoque densitas*, *& humilitas in amplitudinem atque raritatem venerit*, oportet *pubetenus*, hoc est, inter umbilicum & pectinem, quod *Græci* ἧτρον adpellant, *lanas oleo calido expressas* adponere, quæ omnia etiam vicina contegant, ut *inguina*, atque *vesicæ partes*, (*m*) vel si qua ventrem contegant: *fovendum caput* oleo dulci atque calido. Dehinc alienatione perseverante, etiam *calida cum oleo mixta*, quod *Græci* vocant ὑδρέλαιον. Paullo *vehementius* hoc genus fomenti operatur, si, ut supra diximus, *oleo aqua calida* misceatur, vel *fœnugræci*, aut *lini seminis succus*. Sed hæc singula sine ullo esse odore debent, atque nullo fumi adflatu vexata, ne caput impleant, & alienationem exasperent.

At si *adjuncta* fuerit *strictura solutio*, ut aut *venter fluens*, aut *sudores* esse videantur, caput supradicto modo, atque fomentis supradictis curabimus: etenim *alienatio tumore membranarum cerebri* fiet. Medias vero partes *frigido* ac (*n*) *viridi* curabimus oleo. Si autem (*o*) plurima atque superans fuerit, & occulte in (*p*) *diaphoresim* venire posse ægrotantes viderimus, tunc etiam

---

(*m*) ac quasi totum ventrem.
(*n*) omphacino.
(*o*) *subint.* solutio cum evacatione sudoris, alvi &c.
(*p*) colliquationem.

caput dulci quidem, sed frigido oleo fomentamus: etenim *frigus diaphoresim*, *dulcedo fricturam* temperat: *detergendus* etiam erit sæpissime *sudor*, qui per vultum atque thoracem emicuerit, *spongia molli*. At si plus fuerit extentus, ut integros solvi videamus, etiam *flabris* utimur, non quidem sine *respectu alienationis*; etenim si *constricturam* ea curatione *mitigari* videamus, audacius id facere perseverabimus. Si autem asperari senserimus, erunt minuenda quæ gerimus, conjicientes, non tantum *solutionem constringi* adjutoriis, quantum *alienatio augetur*. *Namque necessario requies congrua solutioni, atque noxius motus accipitur*. Declinante accessione *os colluere* jubemus ægrotantem ex *aqua calida*, vel si impatienter siti jactatur, *dabimus ei potum*, sed strictura sola laboranti, *plurimum*, ut *densitas* irrigetur: *solutione* laboranti, (q) *parvum*: vel si *plurima* cogit *solutio*, etiam *frigidum*.

(q) paucum.

CAPUT X.

De Phlebotomia.

AT si *sola* atque *vehemens strictura* ægros in *phreniticam* extemplo *passionem* perduxerit, designat adhibendam esse *phlebotomiam*, permittentibus viribus: atque si passio cogit, *intra diatriton*: si minus, in ipsa *prima diatrito*, ultra nunquam *vexantur enim in ejusmodi ægritudinibus corporis vires*. Phlebotomandi autem disciplinam, vel magnitudini passionis moderationem faciendi congruam, libris quos *de specialibus adjutoriis*

ſcripturi ſumus, docebimus, *principaliter monentes ne uſque ad animi defectum*, quem Græci λειποθυμίαν vocant, *adjutorium intendere nitamur.* Timendum enim hoc ſæpe eſt *accidens*, quod Græci σύμπτωμα vocant: quamvis enim in omnibus paſſionibus, ſi ſit *mortuoſum*, plus tamen in phreniticis adficitur male (*a*) *prætacta nervoſitas.* Dehinc poſt *phlebotomiam caput ſimiliter fovemus*, atque occipitio lanas oleo calido ac dulci madidas adponimus. Similiter etiam *vertebris*, quæ Græci ἰσχία vocant, *præcordiis* etiam atque *pectini.* Hæc enim neceſſario in phreniticis paſſioni conſentiunt.

At ſi *intra diatritum*, ut ſupra diximus, *phlebotomia* fuerit adhibita, poſt paululum *os colluere* aqua calida ægrotantes facimus: (*b*) *potum* quoque *damus*: dehinc *dormire* permittimus. Sin vero in ipſa diatrito *phlebotomia* adhibita cum adjutorio, (*c*) *motus quieverit*, *oleo* ægrotantium *corpus perungendum* erit, atque a miniſtris *facies lavanda*, ut alienatio nullo (*d*) novorum vultu aſperetur (noti enim uſu prudentes delirantes faciunt, non reſiſtendo) præſentibus etiam his, ut ſupra docuimus, ægrotantes verecundiam debent.

Cibum dabimus *ſimplicem*, *digeſtibilem*, (*e*) *parvum*, *laxativum*, ut eſt *alica*, *calida aqua*, aut *mulſa decocta*, vel *panis ex aqua calida*, aut *alica* ſupra dicta *ſorbilis facta*, vel ex *melle* atque *oleo* & *ane-*

(*a*) jam ante adſecta.
(*b*) potui aquam.
(*c*) morbus de vigore remi ſerit.
(*d*) i. miniſtrorum.
(*e*) paucum.

& *anetho*, & *sale* pauciſſimo (*f*) præcocta. *Solutione* autem laborantibus *pultem* dabimus, atque *panem*, & ova ἁπαλά. Dehinc omnes *ſomno* dimittimus, vel ſi minime dormire potuerint, *quieſcere* tamen jubemus. *Non enim minus ſomnus cibo reficit opportunus.* Dehinc alia die a cibo abſtinemus, fomento atque potu utentes.

Secunda vero *diatrito*, ſi venter ſuum non agnoverit officium, *clyſterem* adhibebimus ex *aqua* & *oleo calido*, vel *decoctione fœnugræci aut lini ſeminis*, *cum oleo.* Etenim *inteſtinorum ſiccitas* rigatur, & *aliena* quæ retinebantur *excludentur*, & (*g*) *acrimonia*, quæ ex ipſis naſcens ex alienatione quadam capitis tumentiam aſperabat, *detrahetur*, atque ipſum *caput localibus adjutoriis melius præparatur.* Tum poſt (*h*) intellectionem medias partes *cataplaſmate* curamus ex *fœnugræci* & *lini ſeminibus* admixto *polline*, quod *Græci* μάκτον vocant, & eſt omnibus uſitatum. Dehinc ſimili ſupra dicto cibo utemur.

Alia vero diatrito caput detondemus, etenim detractis capillis partes (*i*) reflantur, plurima gravatione liberatæ. *Tunc poſt tonſuram lanis oleo calido expreſſis caput tegemus.*

(f) i. ante cocta.
(g) vapor acer & mordax.
(h) inclinationem.
(i) i. e. perſpirant & difflantur.

CAPUT. XI.

De Cucurbita.

ALia dehinc *diatrito* rasis partibus *cucurbitam* adponimus *occipitio* (a) *mitiganter*, atque sub ipsa fronte *sanguisugas* facimus inhærere quatuor vel quinque, ut non ex una parte *detractio* fieri *sanguinis* videatur, sed veluti *circularis*, ut totum spiret atque relevetur caput.

At si *plurimum laxamentum* facere voluerimus, totum caput rademus, & per circulum plurimas cucurbitas adfigimus, alteram *occipitio*, alteram *medio capitis*, quod *Græci* βρέγμα vocant, alias duas *superius a temporibus*, *sed neque cum multa flamma*, *neque multo sinimus tempore immorari.* Arentes enim, atque (b) siccatæ facile commovent, *caput implent*, ac *mentis* faciunt *alienationem* augeri.

Ita detractis cucurbitis si partes *erubuisse* viderimus, *leniter scarificamus*; si minus, *mitigamus vaporantes spongiis non nimis calidis*, relaxamus: (c) vapore etenim nimio tamquam *frixantes densamus.* Quapropter, ut supra diximus, *post jugem*, *atque temperatam vaporationem*, ubi partes rubuisse viderimus, *scarificamus.* Post namque etiam vaporatio ante cucurbitæ adpositionem adhiberi debet, ne plurimum infixa immoretur, & inde *partes radi* videantur (d).

(a) blande, leniter.
(b) siccæ.
(c) calore, s. vapore nimis calido.
(d) depositis.

Suppositis ergo cucurbitis, cum *sufficientem locorum* (e) *verticem* factum viderimus, *scarificamus*. Sic enim non solum *cucurbitæ quassatio mitigatur sed etiam fluoris sanguinis facilitas fit* (f). Explicita scarificatione, rursum cucurbitas imponimus, ut sanguinis detractio fiat. Sed eo tempore *capiti* atque *collo* & vicinis partibus (g) *leves erunt cucurbitæ adponendæ*, quo in laxamentum consentiant.

At si in *præcordiis tumor fuerit*, erunt ipsa prius *scarificanda*, sic etiam & *vesicæ partes*, vel vicinæ ejus.

Tunc in *alia diatrito caput*, dehinc *clunes* etiam. Nam simul hæc omnia scarificare noxium atque vexabile est. Erit enim ejusdem temporis *multas per partes effecta sanguinis detractio phlebotomiæ par*, quæ necessario vires (h) absumat. Quapropter *partiatim* erit adhibenda *cucurbita*, ut exempli causa, nunc *præcordiis*, atque *pubetenus*, prærasa capillatura, nunc *capiti*, *clunibus*, ac *vertebrotenus*, *Græci* ἴσχιον vocant. Cæteris quoque *partibus fomento curatis*, ac decoctionibus supradictis, & cataplasmatibus *relaxatis*, atque ita lenibus cucurbitarum raptibus utemur, quos *Græci* abusive κυφὰς vocant: præfricatis partibus ad tractationem manuum.

At si *vires illæsæ* aut minus læsæ fuerint, post detractionem sanguinis, *spongias* expressas ex aqua calida partibus *adplicamus*, vel oleo calido *mediocriter fovemus*. Tunc totum corpus per *unctionem*

(e) extumuisse.
(f) peracta.
(g) sine scarificatione.
(h) absumit.

curamus, his operantibus magis, qui ægro ſerviendo jam noti ſunt, ne mentis alienatio aſperetur. Etenim eorum facile accipiunt (*i*) atque redarguunt deliirationem præſentibus, ut ſæpe diximus, his quibus verecundiam ægrotantes debent.

Poſt *perunctionem* factam, ut ſupra diximus, *cibum dabimus*. At ſi accipere *congrua* noluerint, vel *contraria* voluerint, *erunt fallendi*: facile enim id fieri poteſt, ſi quidem etiam mentis ægritudine adficiantur. Dabimus ergo congrua, fingentes ea quæ ipſi petebant. At ſi minime conſenſerint, erit confictionis argumentatio adhibenda. Ut ſi *exempli cauſa vinum accipere cupiunt*, *mulſum demus*: vel ſi *ptiſanæ ſuccum* petierint, *alicam* demus, vel ex milio in ſimilitudinem ptiſanæ confectum: cum poſſint, ſi ex aliqua parte ſapuerint, hortationibus, aut metu compeſci. Si neque hoc fieri poterit, dabimus ea, quæ non (*k*) ſatis *aliena ſint ab his quæ rationi conveniunt*, ut *olus*, aut *ptiſanam*: dabit enim quiddam laxamenti atque indulgentiæ aſperitatibus animorum, (*l*) concupita oblatio, & non omnino ſine cibo atque nutrimento perſeverabunt. *Vinum vero omnino negamus*, *tanquam repugnans*, *& nihil a veneno differens*: etenim datum ſtatim *furorem exaſperat*, atque in nimiam magnitudinem tollit.

Poſt *refectionem* itaque erunt *ſomno dimittendi*, vel quod eſt vicinum ſomno, *requies adhibenda*; atque uſque ad totius *paſſionis ſtatum alterna*, vel per intervalla, *cibi refectio*: hoc eſt interpoſita

---

(i) miniſterium.
(k) nimis
(l) concupitorum.

diei unius *jejunitate*, permittentibus quidem viribus: sed ea die qua *cibum non dederimus*, erit *cataplasmatibus* utendum *congruis* atque *jugibus*, usque ad medium tempus dimissionis.

At si porrecta in dies (*m*) *numerosior* erit *ægritudo*, & (*n*) statum infirmitas acceperit, convenit, ut declinatione, augmento, vel *impetu passionis transacto motum gestationis adhibeamus*, si vires patiuntur; in domo *suspenso lecto*, si aer loci bonus atque mundus fuerit. Etenim si motus vel gestatio somnum ruperit, rursum addormiunt, atque *difficile expergiscuntur*, *perseverante jugi motu*. At si hoc fieri non potuerit, in vicina porticu gestatio adhibenda, ita ut *sella bajulatoria*, vel quolibet sessorio leniter atque *mediocriter moveantur*. Similiter etiam si fuerint *experrecti*, non statim erit *gestatio inhibenda*: nam *repentina statio*, atque interrupti motus *in præteritas vigilias revocant ægrotantes*. Non enim *dimissio accessionis*, sed *totius passionis declinatio*, nunc curationem poscit. Quapropter oportet ægros *perseveranter movere*: sed leniter, atque sensim, & *sine ulla nimietate*. At si solutio magis (*o*) inerat passioni, non erit gestatio adhibenda. *Tenuat enim atque dirarat motus*. Dehinc cum *solutio* provocatur, etiam *vigiliæ* necessario augentur. In dimissione vero accessionis, quam Græci ἄνεσιν vocant, perseverandum est *localibus adjutoriis*, & *cucurbitæ adpositione*, sed non (*p*) adhuc adjungenda *scarificatio*. Bonum est enim corporibus sua servare,

---

(m) diuturnior.
(n) ad vigorem pervenerit.
(o) inerit.
(p) amplius.

ne latenter effusione frequenti ægrotantes in diaphoresin veniant. At si aliquo in loco *vehemens dolor emerserit*, *sola erit scarificatione curandus*. Tunc consequentibus atque congruis vaporationibus, & fomentis, & cataplasmatibus. & unctione utendum, & cibo, cum temporis opportunitatem viderimus, quæ probatur signis, quæ de febribus scribentes docebimus. *Generaliter autem* (q) *omnium passionum strictura laborantes minus cibamus: convenit enim cibi parvitas densitati*; si quidem corpora minus exhalent; ut e contrario *solutioni plurimus convenit cibus*: Si quidem celerius insumatur, plurimæ exhalationis causa.

At si *vires* ægrotantis fuerint *dissolutæ*, & *febres non ita acres*, tunc spem veluti declinationis ostentent, adspicienda erit imbecillitas virium, *dandus cibus*, & si necessitas cœperit, etiam *vinum*, sed omnino *parvum*, ad relevandas corporis vires. In his enim sane magis erit consideranda *liquidarum emissio materiarum*, atque *corporis* (r) *defluxio*, & cutis veluti ruginosa, vel *sulcata pannositas*, quam Græci ῥάκωσιν vocant. Etenim *humilitas atque densitas pulsus plurimos fecit errare*, ut putarent virium solutionem, atque ita importune vinum dantes, *insuperabiles mentis alienationes* facerent excitari.

Quapropter oportet etiam *cum aliis pulsum considerare*, non solum (s) si *densus* atque *humilis* est: hoc enim etiam *non solutis viribus sæpe occurrit*; sed si etiam imbecillis, & in (t) comparatione

---

(q) in omnibus morbis.
(r) extenuatio.
(s) num sit: & *sic sæpius*.
(t) continuatione multarum effusionum.

multarum effusione semper ac magis *densatur*, *atque humilis & tremulus efficitur*. Cordis etiam motus tarditate quadam defecti spiritu, motu torpescit, ut post factum saltum ad semet ex residuo corpore (*u*) prærogatum spiritum trahat, & difficulter alium faciat saltum, siquidem non possit spiritus usque ad articulorum finem; vel omnium (*v*) membrorum pervenire summitatem. His denique accedit *tremor*, at non eo tempore, quo corpora requiescunt, sed cum aliquis sua *membra adirectare* tentaverit. Etenim cessante officio atque visu, ægrotantis tremor nisi (*x*) fuerit solutus, (*y*) atque e natura, vel sanitatis tempore intelligitur fuisse.

Providendum itaque, quia in ista ægritudinis qualitate *incauta vini dandi consuetudo*, & (*z*) propter vitas, ut supra memoravimus, *accusabilis apud inertes*, quos *idiotas* adpellant, *invenitur*; quanquam passionis causa ægrotantes interfecti videantur. *Quapropter erit primo periculum prædicendum, ac deinde vinum dandum.*

At si *virium solutio non fuerit*, sed sponte profectus in meliorem partem passionis fuerit demonstratus, *non illico* (*aa*) *præcipue festinandum circa mutandum curationis cursum*, *nisi triduo fuerit confirmata passionis declinatio*. Etenim *facilis in recursum pejorem*, *atque in augmentum hoc passionis est genus*, *etiamsi parva occasio impulerit causæ*. Qua-

---

(*u*) prius erogatum
(*v*) artuum
(*x*) quiescat
(*y*) etiam
(*z*) protervitas
(*aa*) Tamen.

propter etiam tunc propter difficultatem paſſionis *cautius erunt omnia agenda*, atque primum *capiti*, *vel magis patientibus locis cerotum adponendum* ex oleo dulci confectum.

At ſi *reliquiæ fuerint in tumoribus viſcerum*, cataplaſmatibus erunt perſeverantius relaxandæ, vel pinguibus (*bb*) palmulis, ſiquidem non præſentis temporis, ſed etiam ſequentis habeant relaxandi virtutem. Tunc etiam convenit *caput fomentis curare frequentius*, ſed cauta diligentia, neque alia (*cc*) pars *frigore tangatur*. Nam lata ſpongia erit ſupponenda gutturi, atque mento. Dehinc paulo prominentius a lecto producendus æger, atque paullulum inclinandus. Tunc ſupponenda ſcaphula alta, aqua calida plena: deinde *duo adhibendi*, *qui foveant alterno officio*, *ne ullo tempore fomentum frigeſcere faciat caput*. Per intervalla denique erit etiam *oleo perfundendum*, & manibus *leniter defricandum*, ſed non impreſſis. Tunc expreſſa ſpongia detergendum, & ultra, quæ humectata ſunt forte, *pannis calidis detergenda*, *atque lana calida contegenda*. Tunc reſiduum corpus oleo perungendum, molli quidem tactu manuum.

Procedente declinatione, ſolitum nobis eſt uti etiam *fomento* a genibus ad inferiora. Tunc comparatione profectus, cibi augenda (*dd*) humanitas. Primo enim oportet ac ſufficit *varietatem de ſimplicibus facere*, dando *pultem*, aut *ſorbilem cibum*, *ova* atque *panem*, vel *elutam alicam*, & *non alternis*, ſed *quotidianis diebus*, & *plurimum*, comparatione præteriti temporis illorum

---

(*bb*) dactylis.
(*cc*) ſubjecta capiti, ut thorax.
(*dd*) quantitas.

dierum, quibus parvum dare ſolebamus. *Simpliciorem vero tenuem atque parvum illis diebus, quibus nihil dare ſolebamus.*

Confirmata atque plurimum proficiente *declinatione*, erunt addenda etiam *mediæ materiæ* (*ee*) *pulmenta*, quod *Græci* μέσην ὕλην adpellant, ut *piſces ſaxatiles*, *cerebrum*, *olera*, ſed non acria, ut *beta*, *malva*. Tunc etiam ex depoſito, ut (*ff*) *ſalſum*, *olivas*. Hæc enim de cellario proferuntur, quod *Græci* ἀποθήκιον vocaverunt. Oportet etiam advertere, ut quando damus multum, minoris fit nutrimenti, aut quando parvum, majoris ſit nutrimenti. Sicut reſponſionum libris reſumptivum quid tunc ſcribentes docuimus: ſemper autem utantur.

Dandus autem ſic eſt *cibus*, ut intra *dimiſſionis medietatem* digeratur, & *nihil ſuperfluum ſequens inveniat acceſſio*. Augendi ſunt igitur cibi pro virium quantitate. Denique ſi ſe corporis fortitudo adtollere cœperit, dabimus etiam *volantum carnes*, ut *turdos*, vel *pullos gallinarum*, & *columbinorum*. Tunc etiam *porcinam carnem*, atque *crura porcina*, quæ Græci *acrocolia* vocaverunt, vel quæ motu frequente exercentur in iiſdem animalibus; dabimus etiam *hœdinam carnem* reſumptis viribus. Ut omnes ſupradictos cibos facile accipere ac digerere poſſit ægrotans, ordinem cibi componimus, ut primo demus ea, quæ ſunt mediæ materiæ, quam *Græci* μέσην ὕλην vocant, ut *pultes*, *piſces*, *cerebrum*, *alicam*, ſed quæ *caput non percutiant*, ut *ficus ſolæ* vel ex *mel-*

(*ee*) obſonia.
(*ff*) ſalſamentum: *alii*, ſalgamum.

le, aut *mulsum*, *coctum malum*, vel *celsa*. Tunc deinde volantia, sed non pinguia, neque cibis nutribilibus (*gg*) adescata ob acquirendam pinguedinem, sed mediocriter carnosa: ultimo porcinam atque hœdinam.

Proficiente curatione *addenda erit gestatio*, quæ in *domo* vel in *porticibus* fiat: sed hæc quoque erit *sensim augenda*; similiter etiam corporis unctio, atque defricatio: & cibus supradictus, nunc quantitate, nunc qualitate, erit augendus. Tunc *lavacrum* adhibendum, & in *abstinentia vini* permanendum. Cum autem *sine ulla inquietudine* corpus (*hh*) habitare senserimus, dabimus *vinum* splendens, (*ii*) leve, atque (*kk*) medie acre, non nimii odoris, temporis mediocris, ut neque vetustum (*ll*), neque satis novum sit. Erit præterea *aquatum* dandum: *metuenda est enim in ista passione vini datio*, siquidem ejus in (*mm*) tumore esse substantia videatur. Tempore igitur quo *vinum* damus erit primo *æger perungendus*, tunc idem modus cibi dandus. Cum *omnis* deinde *solicitudo recesserit*, *atque omnia suspecta* (*nn*) *circumscripta viderimus*, & *alienatio mentis omni ex parte recesserit*, *febribus* (*oo*) *desertis*, *atque viribus resumptis*, *impavide omnibus supradictis utendum erit conjunctis*; *ut gestatione*, *un-*

(*gg*) saginata.
(*hh*) habere se
(*ii*) lene
(*kk*) mediocre
(*ll*) neque plus satis
(*mm*) φλεγμονώδει.
(*nn*) ablata, remota
(*oo*) curatis, sanatis

ſtione, lavacro, & vario cibo atque vino.

Omni autem tempore reſumptionis erit curandum, ut ab alienatione mentis reducti ſapere cogantur. *Plerique* enim *uſque ad ſanitatis tempus, mœſtitudinem*, vel *iracundiam*, aut *alienationem mentis ſervaverunt* Quare oportet eos, qui *hilaritate* adficiebantur, *ſevera verborum* atque triſti *oratione corrigere.* Sic enim mentis laxata habitudo atque puerilis effrenata bacchatio coercetur.

Eos vero qui *mœſtitudine* atque *ira* adficiebantur, *leni conſolatione*, atque nunc *dictis hilariobus* & jucunditate relevare. *Etenim tædium, vel mœſtitudo non ſolum in his, ſed etiam in aliis paſſionibus valuit ſæpe paſſionem refricare.* Nam ſi ſani homines plerique anxietate in paſſiones corporis devenerunt (*pp*), nimirum etiam qui *nondum ſunt paſſione purgati, in eandem redeant*, cum animæ qualitas, ſua ut ita dixerim, cubilia quædam nova vulneratione adfecerit. *Hæc eſt ſecundum Methodum curatio phreniticæ paſſionis.* Dehinc *aliarum ſectarum Principes* quid ordinaverint, proſequamur.

(*pp*) nil mirum ſi

CAPUT XII.

Ad DIOCLEM.

HIPPOCRATES igitur ſolum nomen videtur tetigiſſe paſſionis, libro quem de *ptiſana* ſcripſit. Item libro prædictivo quem προρρητικὸν adpellavit; nam curationem nullam tradi-

dit. Sed neque PRAXAGORAS, neque HEROPHILUS. DIOCLES vero, libro quem de febribus scripsit, ait *oportere phreniticos fortes atque audaces, lavacro curari.* Similiter etiam *phlebotomare juvenes fortes*, atque plurimum *sanguine abundantes*, vel *consuetudine vinolentos*; quosdam *intra sextum diem*, aliquos vero etiam *post septimum*, & *octavum.* Item *libro*, quem *de passionibus* & earum causis, & curationibus scripsit, *non solum*, inquit, *ex brachio sanguis est phreniticis detrahendus*, sed etiam *de venis, quæ sub lingua sunt.*

Quantum (*a*) ad hæc, miseris erat melius debilitate potius quam vana corporis fortitudine laborare, *ut tantis cladibus errantis medici vexarentur.* Etenim *audacia & irrationabilis fortitudo pejorantis est passionis*, & magis in augmento fit. *Perniciosius* autem cum *passio vehementescit*, vexato tantis turbationibus ægro, *lavacrum adhibere.* Quod est (*b*) econtrarium *utilissimum in declinatione*, etiam non *audacibus*, neque *fortibus* phreniticis. Dehinc *noxius* est etiam *clyster acrior*, quem sæpissime probat, atque nihil ab (*c*) *officio* differens. *Phlebotomia* quoque *a jugulatione non differt, cum vexatis viribus adhibetur*, ut aiunt post septimum vel octavum diem. Atque etiam ex *vinolentia* in phreniticam passionem venientes *convenit plerumque non phlebotomari*, cum forte etiam *solutio* adfuerit. *Alios* etiam, hoc est ex aliis causis *phreniticos* effectos, ut est (*d*) *adus-*

(*a*) remedia
(*b*) e contrario
(*c*) maleficio, veneficio
(*d*) nimia incalescentia

tio, ſæpe *phlebotomari oportet*. Sed neque parum ſanguinis habentes, quos *Græci* ὀλιγαίμους adpellant, ita curandi erunt, ut (*e*) phlebotomi beneficio priventur. Et quid ultra? cum enim non *ætates*, neque cætera, quæ (*f*) *ſuperfluo* poſuerunt, providenda probemus, ſed *paſſionem* magis, atque ejus (*g*) *comitantia* conſideremus: *falſa* denique ac *ſuperſtitioſa* eſt etiam ex *venis ſub lingua conſtitutis ſanguinis detractio*, etenim *caput implet*, & ejus fluor (*h*) abſtineri difficile poteſt.

(*e*) phlebotomiæ
(*f*) ſuperflua
(*g*) ſymptomata, eorum magnitudinem, parvitatem &c.
(*h*) cohiberi

CAPUT XIII.

Ad ERASISTRATUM.

ERASISTRATUS tertio libro de febribus ſcribens, hoc ſolum dixit, *quomodo in febrium alienatione vinum convenit cum melle dari*. Non ad examen *dandi tempora* ſumpſit. Dicit denique *multis profuiſſe*, & miratur quomodo, neſcius *temporum*, (*a*) *conveniſſe fortunam*. Dehinc *multam inflationem* facere nemo dubitat, atque *pleniſſimam ventris commotionem*: quippe cum neque dandi quantitatem adjecerit, neque alias adjutorii partes manifeſtandas adverterit.

(*a*) acceſſiſſe

CAPUT XIV.

Ad ASCLEPIADEM.

ASCLEPIADI responsuri; ejus (*a*) *primum dogma* proponamus, *qua voluti adprehensionis falsitate, peccatis etiam involvuntur curationum. Primordia* namque *corporis* primo constituerat *atomos, corpuscula intellectu sensa*, sine ulla *qualitate solita*, atque ex *initio comitata, æternum se moventia*, quæ suo *incursu* (*b*) *offensa*, mutuis ictibus in *infinita partium fragmenta* solvantur, *magnitudine atque schemate differentia:* Quæ rursum eundo, sibi *adjecta*, vel *conjuncta, omnia faciant sensibilia, vim in semet mutationis habentia*, aut per *magnitudinem sui*, aut per *multitudinem*, aut per *schema*, aut per *ordinem.*

Nec, inquit, ratione carere videatur; quod nullius faciant qualitatis corpora. Aliud enim *partes*, aliud *universitatem* sequitur; *argentum denique album est, sed ejus affricatio nigra: caprinum cornu nigrum; sed ejus alba serrago.* Fieri etiam (*c*) *vias* ex *complexione corpusculorum*, intellectu sensas, *magnitudine*, atque *schemate* differentes, per quas *succorum ductus solito meatu percurrens*, si nullo fuerit impedimento retentus, *sanitas ma-*

(*a*) principia
(*b*) invicem ocurrentia
(*c*) poros, meatus corporis

neat, impeditus vero *ſtatione corpuſculorum morbos efficiat.*

Fit autem eorum *ſtatio*, aut *magnitudinis*, aut *ſchematis*, aut *multitudinis*, aut *celerrimi motus cauſa*, aut *viarum flexu conclusione* atque ſquamularum, (*d*) exputo. *Varias*, inquit, fieri *paſſiones*, *locorum aut viarum differentia*, & *non omnes ſtatione corpuſculorum*, ſed *certas*, hoc eſt *phrenitim*, *lethargiam*, *pleuritim* & *febres vehementes*: (*e*) *ſolubiles* vero *liquidorum atque ſpiritus turbatione.* Item *bulimum magnitudine viarum ſtomachi*, atque *ventris* fieri ſenſit: *Defectionem* vero atque *corporis fluxam* & (*f*) *irregibilem laxitatem*, *viarum*, inquit, *raritate* fieri. Item *hydropiſmum perforatione carnis in parvam formulam viarum*, quæ poſſit ſolita corporis nutrimenta (*g*) *inaquare.* Item (*h*) *typum quotidianum majorem corpuſculorum ſtatione fieri adſeverat*: Cito etenim inquit ea exantlari atque impleri: *Tertianam* vero *minorum ſtatione corpuſculorum.* Item *quartanam minutiſſimorum.* Difficile enim impleri atque exantlari poſſunt.

Febrium (*i*) ponunt *ſignum fervorem plurimum*, atque *immutationem pulſus in vehementia*, niſi ex aliqua hæc manifeſta fuerint cauſa. Et neque inquit eſſe in paſſionibus *ſtatos dies*, quos *criſimos* adpellant. Etenim non certo, aut legitimo tempore ægritudines ſolvuntur. *Vinum* jubet *febrici-*

(d) *hic videtur eſſe hiatus.*
(e) minus vehementes & facilius curabiles.
(f) immoderatam.
(g) in aquam vertere.
(h) *ſubint*, febris.
(i) Aſclep. & ejus ſectatores.

tantibus dari, ſed adjecta diſcretione. *Impari* denique *die* adhibendum probavit primo *clyſterem*, & (*k*) jugiter adhibendum. Non etiam *ſitim vehementem* donec pulſus concidat, (*l*) *probat*: etenim *opportunitatem temporis* fieri magis ab (*m*) *artifice* poſſe quam ſua *ſponte*, aut *Deorum nutu* venire. Adpellavit denique (*n*) illam (*o*) *magnificam*.

Item in (*p*) *Samothracia* clyſterem, atque vomitum probat, circa veſperam pridie. Sed in his, qui *periodicis typis* adficiuntur, *vomitum præponit clyſteri*. Item (*q*) *lue ægrotantibus vomitum* & *lavacrum* probat. *Typicis* vero *clyſterem* & *vomitum*, &, *vinum Samothracium*, atque *ſalſum* bibendum inquit, primo uſque ad *tres quartas ſextarii*, & ſuperbibendam *partem ſextarii*. Item tempus dandi cibi non *dimiſſione perfecta*, ſed *acceſſionis declinatione* dicit. Et quoſdam prima die, quoſdam ſecunda, quoſdam tertia, quoſdam quarta vel quinta, aut ſeptima cibari jubet.

Phlebotomat eos qui *cum dolore* fuerint *ægrotantes*, alios omnes prohibet phlebotomari, & magis ſpecialiter *phreniticos*, adjiciens etiam non eſſe tondendos, loci quoque obſcuritatem (*r*) recuſans. Item *cardiacos* vehementioribus *clyſteribus* curat, & cum levi fuerint *indulgentia* relevati, reficit

(*k*) ſæpius: frequenter.
(*l*) levandam putat.
(*m*) artificis prudentia, & obſervatione.
(*n*) *ſubintel.* temporis opportunitatem.
(*o*) μεγαλοπρεπῆ.
(*p*) Samothracia femina quam tractabat.
(*q*) peſtilenti morbo.
(*r*) improbans.

reficit *vino*, & *cibo*. In *synanchicis* vero, ut supradictis etiam utitur & φαρυγγοτομία, hoc est cannæ sive *gutturis* ob respirationem *divisura*. Item in *hydropibus paracentesin probat*, *quia*, inquit, *si forte plus modo fuerit facta humoris detractio, erunt ægri aqua calida replendi tantum, quantum plus videbamur abstulisse*. Huic sane (*t*) adjutorio *detractionem sanguinis ex talo factam*, ex ejus vena interiore similiter *mederi* dicit: & non esse *activas* atque *operantes causas ægritudinum in liquidis* constitutas, quas *synecticas* vocant, sed esse *antecedentes*, quas Græci *procatarcticas* adpellant. Item (*u*) *plenitudinem plerasque passiones adjuvare* dicit.

Laudat etiam in salutaribus præceptis *vitæ varietatem*, atque *vehementer utile* dicit *aquam bibere*, & *frigida lavari*, *quam* ψυχρολουσίαν adpellant, & *frigidam bibere*. Item *habitudinem athleticam* negat esse *tutam*: & neque ullam (*x*) *digestionem* in nobis esse, sed *solutionem ciborum* in ventre fieri (*y*) *crudam*, & *per singulas particulas corporis* ire, ut per omnes (*z*) tenuis visa penetrare videatur, quod adpellavit λεπτομερὲς, sed nos intelligimus *spiritum*.

Et neque inquit ferventis qualitatis, neque frigidæ (*aa*) esse, *nimiæ suæ tenuitatis causa*, neque alium *quemlibet* (*bb*) *sensum tactus* habere, sed per *vias receptaculorum nutrimenti nunc arteriam*,

---

(*t*) noxæ a paracentesi illatæ.
(u) sanguinis abundantiam.
(x) cibi coctionem.
(y) absque fermentatione.
(z) forte: *tenues vias*.
(aa) cibum qui distribuitur in corpus.
(bb) qualitatem quæ sensu tactus percipiatur.

nunc nervum, *vel venam*, *vel carnem* fieri. Item, (cc) *transvorationis primam partem* dicit *extentione* fieri *faucium*; *secundam* viarum tenuitate, quæ ad ventrem ducunt. Item ὄρεξιν, quam nos *adpetentiam* dicere poterimus, eam quæ cibum adpetit, *viarum majore* (dd) *perfectione* fieri dicit in *stomacho* atque *ventre*. Eam autem quæ *potum* adpetit, *parvarum viarum causa* fieri dicit. Præterea *excrementa ventris* (Græci σκύβαλα dicunt) negat aliena esse natura. Siquidem etiam ex ipsis corpora augeantur.

Quædam denique, inquit, animalia ex ipsis solummodo se nutriunt. *Somnum* enim etiam fieri *spiritus sensibilis crassificatione* adseverat: deinde *regnum animæ* aliqua in *parte corporis* constitutum negat. Etenim *nihil aliud esse* dicit *animam*, *quam sensuum omnium cœtum*: *intellectum* autem, *occultarum* vel latentium rerum, per *solubilem fieri motum sensuum*, qui ab accidentibus sensilibus atque *antecedentis perspectione* perficitur. *Memoriam* vero *alterno* eorum *exercitio fieri* dicit. *Omnia præterea fieri necessitate*, & *nihil sine causa*, & *neque naturam aliud esse*, *quam corpus*, *vel ejus motum*. Deinde, inquit, non solum *prodest natura*, sed etiam *nocet*. Hoc est ASCLEPIADIS dogma: nunc quemadmodum *phreniticos* curaverit, prosequemur.

(cc) deglutitionis.

(dd) patefactione & magnitudine: ut supra dictum est de bulimo.

CAPUT XV.

Item ad ASCLEPIADEM *phreniticos curantem.*

PHreniticos curans, *primo libro* celerum vel acutarum paſſionum, expugnat eos, qui contraria poſuerunt adhibenda. *Secundo*, quomodo declinanda, vel avertenda ſit phrenitis, docet. *Tertio*, quomodo curanda, cum facta fuerit. Contradicens igitur primo (a) incuſat *clyſteres*, atque *irim* bibendam, & *acetum* cum melle, & ex ſinapi *apophlegmatiſmum & tonſuram.* Siquidem velut (b) *hortamento* quodam *humor liquidior faciat ad caput adſcenſum*, & in (c) conſtrictionem atque *tenſionem cerebri membranam cogit.* Adcurrit enim inciſuræ capillorum materies, & pori denique & capilli poſt tonſuram craſſeſcunt, atque fortiores fiunt. Quapropter etiam homines. ſi *poſt cibum totonderint, tuſſicula atque catarrho, vel lippitudine vexantur.* Dehinc ſi lanis caput poſt tonſuram tegere curamus, quanto melius ſi naturali tegmine capillorum lateat obtectum?

Improbat etiam in *obſcuro loco* jacere ægrotantes. In *luce* enim, *mentis ſive intelligentiæ viſa debilia, atque parva efficiuntur*, cum ſenſualibus viſis arguuntur, ſicut nocturni luminis ac funalium flamma ſub ætheria luce conſtituta viſi potioris oppreſſione langueſcit: in *obſcuro* autem e contrario

(a) improbat.
(b) ſtimulo.
(c) obtruſionem.

vehementiora atque majora fieri mentis atque intelligentiæ visa adseverat, cum nullis sensualibus visis arguuntur, quiescentibus sensibus. Denique tanquam præsentia, vel vera fiunt, sicuti somniantum etiam: tunc enim *silentibus sensibus solius mentis visa operantur.* Ac deinde, cum *nullis* adhuc *sensualibus* (d) *incisa* avocantur, tanquam præsentium, *non præsentium visa* sequuntur.

Phlebotomiam etiam *nihil*, *inquit*, *jugulatione differre in phreniticis*, siquidem sit (e) *cum dolore ægrotantibus* congrua. Nam *dolor majorum corpusculorum statione fit*, quæ sola *phlebotomia exantlari posse* noscuntur: phrenitici (f) igitur nullo dolore vexantur. Siquidem (g) *angustiis* in (h) his *parvorum facta* videtur *statio*, & propterea phlebotomati *animi defectu*, atque *corporis frigido torpore* adficiantur, aut *vocis amputationem*, aut *mentis alienationem* sustineant. *Detracta* enim *materie*, passionum causa remanente, (i) *crassificari contingit*, atque corporis facere algorem, & tunc ad *cerebri membranam spiritum*, vel *fervorem* ferri, & *stationem corpusculorum*, geminata quoque alienatione.

Et recte quidem *clysteres* atque *irim* & *mulsum* ex aceto, & ex sinapi *apophlegmatismum* recusat, sed se ipse quoque impugnans, sicuti in consequentibus docebimus: item *tonsuram*, atque *obscurum locum*, & *phlebotomiam* non recte prohibe-

---

(d) interrupta.
(e) i. e. in morbis dolorosis tantum & quare.
(f) autem.
(g) angustatis iis.
(h) i. e. phreniticis.
(i) *subint.* reliquum sanguinem.

re voluit. Nocentur enim quidam non *tonsuræ* causa, sed *intemporalitatis* ejusdem. Denique etiam *sanos post cibum tondentes noceri* manifestum est, ante cibum vero opportunitatis causa relevari. Dehinc, etiamsi vi sua prodesse tonsuram negat, oportuit tamen eam adhiberi propter usum localium adjutoriorum, sine qua necessario adhiberi non possunt, sicut superius docuimus. (*k*)

Aeris vero *qualitas* non *occulta causa*, sed (*l*) *manifesto actionis indicio* erit judicanda, secundum passionem. Igitur (*m*) quomodo videmus alios *strictura*, alios *solutione* magis adfici, convenit ut *pro differentia* his *lucidus*, illis *obscurus* sit adhibendus. Nam *crassitudine*, ac frigore *constringens aer* (*n*) redarguit corporis *defluxiones*, quas *Græci* ἀποῤῥοίας vocant. At si, ut nuper docuimus; *proprietatem accidentium* servaverimus, quomodo quidam *lucem* fugiunt, vel oderunt, alii *tenebras*, convenit ut alios *obscuro*, alios *lucido* esse faciamus *loco*. Quid dicam quomodo pleraque ægris aliter sunt quam videntur: ex visis namque veris ducentes quidam mentis errorem, falsitate magis adficiuntur. Sic denique HERCULES filiorum & conjugis visibus inimicos vultus accepit, ORESTES etiam ELECTRÆ furiales vultus expavit. Non *omnes* igitur *lucido in loco jacere* concordat: sicut latius *adjutoriorum libro* explicamus.

Est etiam *vehementer noxium phlebotomiæ utilissimum adjutorium prohibere*. Quippe cum videamus

---

(k) lucidi, obscuri.
(l) *manifesta*.
(m) quoniam.
(n) cohibet coercet.

in ipſo uſu ſæpe paſſionem feciſſe compendium. Etenim defectio vocis, atque algor ſequentur eos, qui incongrue fuerint phlebotomati, *conjuncta ſcilicet ſolutione*, aut *intemporaliter*, aut *immodice.*

Vanum eſt etiam, quia non dolent *phlebotomiam* prohibere, tanquam majorum corpuſculorum congruam detractioni, quorum obtruſione dolores efficiantur. *Primo* enim *paralyticos* & *peripneumonicos*, & *apoplectos* congrue *phlebotomamus*, cum nullis *doloribus* adficiantur. *Secundo* etiam *phrenitici* dolent, ſed eorum *mens*, quia judicio caret, *neſcit queri*, quod doleat. Videmus namque eos ſeſe *mordere*, *urere*, aut *pungere:* & naturale non eſt nullo dolore cogente hæc fieri exiſtimare. Dehinc *majorum corpuſculorum detractionem*, *etiam minorum neceſſario ſequitur.* At *phrenitici* non ſolum alienantur, ſed *febricitant.* Ita febres ſecundum ASCLEPIADEM majorum corpuſculorum ſtatione fiunt.

Si igitur *propter alienationem* non convenit, *propter febres tamen* convenit adhibere *phlebotomiam*, ſic etiam ſanguis majorum corpuſculorum materia: ſed non (o) ſolum detrahit *phlebotomia*, verum etiam *ſpiritum* & *fervorem; quæ*, ut dicit, *parvorum ſunt corpuſculorum materiæ.* Convenit igitur ſecundum ipſum *phreniticos phlebotomari*, ut detractione *minorum corpuſculorum* alienatio mentis, *majorum* febres auferantur. Adparet itaque, neque ſecundum ſe conſequenter ASCLEPIADEM phlebotomiam prohibere.

Proinde *præcavens* vel avertens *mentis alienationem*, jubet addiſci, quæ ſit *acceſſionis* ac *di-*

(o) *ſubintel.* craſſiorem ſanguinem.

missionis dies. Tunc graviori die *cibum dari paucissimum*, atque exspectato *febrium statu*, dari *ptisanam*, vel *hordeum*, aut *alicam*; aut *cum beta lenticulam*, vel his quicquam simile, conjiciens solam ex his *dandi* (*p*) *novitatem* prodesse, nec habendum judicium, quid istorum debeamus offerre, sed potestati ægrotantium dimittendum, quid velint eligere. *Alia die* si febricula perseveraverit, *exantlare obtrusiones*, & *requiem* corporis adhibere, *aquam* dantes potandam, non plusquam bis in die usque ad *heminam*, vel duas, & hunc modum etiam nocte servare: sic rursum *secunda die*, *transacto accessionis augmento* dandum quiddam de præscriptis *sorbilibus*, atque alia die declinante febricula, uti *sorbili cibo*. Perseverante vero rursum abstinere, & præterito similem *tertium* imitari *diem*. Tunc *septima* audere jam *pane* atque *piscibus*, & *vino* uti: solvitur, inquit, enim passio tertia sæpe periodo.

Ad hæc *respondemus*, quia etiamsi *sua sponte passio intra septimum diem* solvi potuerat, non solvetur, (*q*) *iniquæ curationis* causa. Etenim neque *de somno*, neque de *vigiliis*, neque de *capitis fomento*, vel cæteris quæ ad *diligentiam* pertinent *curationis*, quicquam videmus ordinatum, solis ex tribus medelam credidit adhibendam, *potu*, *cibo*, *clystere*, & hoc tanquam de experimento. Nam *cibus*, ut voluit, *ante dimissionem* dandus, transacto mox accessionis statu, *turbatis adhuc liquidis atque spiritu*, quo febres duplicentur, & alienatio menris ardescat, est non solum intemporaliter, verum etiam incongrue. Stringit enim

(*p*) varietatem ac mutationem.
(*q*) parvæ, incommodæ, absurdæ.

ordeum, & *lenticula*: relaxat *ptisana*, & *alica*; & non possunt *contrariæ qualitatis species iisdem passionibus* adhiberi, nulla discretione servata. Dicimus etiam curiosum genus *pulmenti*, atque congestum, & (*r*) primæ oblationi contrarium esse, *betam cum lenticula*, quod adpellavit *Teutlophacen*, item *ptisanam*.

Contrarius etiam *clyster* atque noxius perspicitur, *omnibus quidem propter intestinorum mordicationem*, & cætera: magis tamen *solutionem*. Ipse denique accusans utentes, ait *continuationem clysterum incendium* atque sitim facere. Inusta enim *intestina* melle, atque cæterarum specierum mordicatione, movent *fervorem* plurimum, qui *per alta*, quadam continuitate viarum, *membranæ cerebri influat*. Cuncta etenim, inquit, quæ sunt *in alto corporis constituta, sese occulta vicinitate contingunt*. Quorum in numero *membranam cerebri* ponimus. (*s*) Revocat etiam & grave passioni atque *perniciosum malum*: nihil enim in ipsa *gravius quam ventris est fluor*. Quod igitur (*t*) crescit pejorante passione, hoc perhibet fieri clysterum provocatione.

Denique quæ culpans alios dixit, in ipsum convertenda utentem clystere. Non enim dici potest solam *frequentiam injectionis* accusasse, *genus* autem innoxium judicasse, cum manifeste *propter acrimoniam clysteres noxii* judicentur, & magis etiam si *usu frequenti*, atque *copia* peccaverint adhibentes. Quid dicam, quod neque semel ASCLEPIADES clysterem jusserit adhiberi, cum secundo una die dixerit innovandum, dicens, perseverante

---

(*r*) hordei, ptisanæ, &c.
(*s*) advocat, *subint.* clyster.

rursum, cibo abstinendum, & innovandum tertio prætertia die quo clyster fuerit adhibitus.

Est etiam *vanum sine disciplina temporis potum ordinare.* Ait enim bis dandum in singulos dies: mitto *non omnibus ægris eundem modum competere strictura atque solutione laborantibus:* at iste duas heminas omnibus jussit dari, sed etiam *vinum* atque *varium cibum* septima die offerendum dixit, non *declinationem passionis*, sed *numerum dierum* advertens, tanquam tunc necessario solvi passionem existimans, quod est *jure* vel *legibus simile.*

Dehinc explicita passionis avertendæ præcautione & cognitione præsentis, (*u*) hoc etiam *effecta curatione* ordinavit: ejus *duplicem* dicit *differentiam*, unam *non meticulosam*, ac multis *phrenitidis* aptandam, aliam *vehementem* atque *periculosam*, quam φιλοπαράβολον adpellavit. Quarum *primam*, ordinans, si inquit, eum qui non sit *ab alio curatus*, acceperunt: & propterea nullo sit tentatus adjutorio, *odoramentis* utemur, hoc est *castoreo*, *peucedano*, *ruta & aceto*, vel ex his *infuso liquore*, & *clystere* detrahendæ obtrusionis causa.

Sin vero ab aliquo *medico* fuerat *ante curatus*, erit, inquit, omnis *unctio* atque *cataplasma*, vel *odoramentum prohibendum*, statim primo ingressu, & *ad lucem ex umbra transmutandus* ægrotans, *sternutamentum* etiam adhibendum, *mulsum* dandum æstate quater, hyeme bis in die, dimidia hemina in singulis potionibus, sed præcocto melle, ne *venter humidus*, aut fluidus fiat. Tunc veniente *nocte* primo ad *domicilium mediocre* secedendum, atque plurimus vel *apertus aer* fugien-

(*u*) clysteris usum frequentem.

dus, dehinc si aliqua fuerit (x) *accessio*, vel articulorum *stupor*, his (y) transactis dandum quicquam de præscriptis *sorbilibus* necessario: si autem (z) *æqualia* permanserint *febrium signa*, statim vespertino tempore, *oleo* totum corpus *perungentes*, caput etiam atque collum *rosaceo*, dabimus sorbilem cibum: tunc ad largiendum requiem vel somnum, sufficiens erit motus, bajulatoria sessione adhibitus, quia mox ægros mites ac (*aa*) delicatos facit. Aliqui denique *phreniticorum* (*bb*) dirarato corpore motus causa, deficiunt. Quapropter *nocte* magis atque *post cibum gestationem convenit adhibere*. Hæc est secundum ASCLEPIADEM metu periculosa, atque cauta differentia curationis.

Huic exemplo respondemus, (*cc*) quia *nulla* est metu *periculosa* differentia curationis, *arte formata*, sed est potius tuta: neque etiam *vehemens*, quam secundam posuit *periculosam* ac metuendam. Vocanda est enim *artis judicio probata* necessario magis, quam supradicto est vocabulo nuncupanda. At si vere fuerit illa quam putat tuta, quomodo non omnibus, sed multis erit *phreniticis* congrua, aut cur non manifestavit, quibus sit incongrua? Quid dicam? quia ipsa quoque, quam putat *tutam curationem*, *pejor* esse perspicitur. Primo etenim *invidiose* jubet si qua ante ipsum *Medicus* adhibuit, *repudianda*. At si non

---

(x) typus cum horrore aut frigore.
(y) cessantibus.
(z) absque intensione & remissione.
(*aa*) demulcet & delenit.
(*bb*) nimis transpirante.
(*cc*) quod.

adhibuerit, tunc probanda, tanquam (*dd*) legitima putans, ut hæc *aliis adhibentibus noceant*, (*ee*) *ipso* (*ff*) *medeantur*.

Dehinc, neque quibus utendum sit his prohibitis dixit, ut oporteat *phreniticum* sine ullo adjutorio derelinqui. Est etiam *vehementer noxium aceto uti* atque *peucedano*, & *ruta*, & *castoreo*: premunt hæc enim, & *vertigines* ingerunt, & ob acrimoniam sui, *tumentes* (*gg*) *dissecant membranas*. Hinc etiam *alienationem* geminant, aut (*hh*) *pressuram* ingerunt vehementem: horum testis ipse est ASCLEPIADES. Accusans enim eos qui *rutam* probaverunt adhibendam, vitandas inquit primo (*ii*) *gravabiles* virtutes. Siquidem *adscensu* quodam inspirationis *caput invadant*, & magnas mentis occasiones alienationis subjiciant.

Præterea paulo superius in eodem *libro* ait, ipsum caput (*kk*) obsidere non sinunt hi qui curant *cataplasmatibus*, & *aceto*, & *polline*; & confectis *fomentis* ex multiformi materia *abluendum* existimant. Similiter *ungentes* non solum *caput*, sed etiam *faciem* atque *collum*, quæ omnia non difficulter (*ll*) naris implendæ odoris acerrimi atque gravabilis. Nobis denique *sæpe contigit* ingredientibus ad ægros quibus hæc fuerant adhibita, *vertiginem pati*. Quid nunc ASCLEPIADES gra-

---

(*dd*) ex lege.
(*ee*) *subint.* adhibente.
(*ff*) prosint.
(*gg*) rodunt, lancinant.
(*hh*) soporem.
(*ii*) quæ caput gravant.
(*kk*) obsilere, id est a dolore vocare.
(*ll*) nares implent odore acerrimo & gravabili.

vius olens habuisti *castoreo?* quid gravabilius (*mm*) ab his quæ adhibenda confirmas. *Cataplasma* vero ex *pollinibus*, & *aceto*, fuit cataplasma remoto aceto *per se* efficax: laxativum est enim, sed *acetum* tibi repugnat: ipso tamen *caput foveri* jussisti. *Clysteris* vero (*nn*) *culpam* superius probavimus.

Est etiam (*oo*) iners, *omnes ægros*, ut voluit, *ex tenebris ad lucem transfere*, cum quidam *tenebris curari magis* videantur, sicut superius demonstravimus. Vexat etiam (*pp*) *ptarmicum* quod credidit adhibendum. *Acre* est enim atque *ignitum*, ut *piper*, *struthium*, & *album helleborum*, quibus tumentes *membranæ* ex eorum acrimonia *in* (*qq*) *asperitatem surgunt*, & *agitatione* ob sternutamenta *extentæ provocantur*. Denique si *statio corpusculorum* causa est phreniticæ passionis, ut putat, *vehementius* eam *his rebus excitari* suspicandum est, cum ad sternutamenti motum materia concurrit. Omnino denique sic curationes suas confundit, ut quæ etiam ipse ordinavit excludat, cum sibi quadam comparatione fuerint opposita: ait denique *majora adjutoria vitanda*. Siquidem nocere magis quam prodesse videantur. Sed quid tandem *levioribus* (*rr*) laceramus, si *fomentis*, atque *unguentis*, & *cataplasmatibus*, & *odoramentis* & *sternutamentis* ægros adficiendos cre-

---

(*mm*) quam ea.
(*nn*) noxam.
(*oo*) non secundum artem.
(*pp*) *vulgo* errhinon.
(*qq*) quasi crispantur.
(*rr*) lacessimus.

didit? quibus adparet eum contra ſemet tuliſſe ſententias. Caret etiam artis auxilio, quod pro (ſſ) *temporum aere*, atque *loco* ordinanda adjutoria putat, & non pro *paſſionis tempore*.

Dehinc non oportet ſolum conſiderare, *quoties potum* demus, verumetiam *quando*. Etenim *acceſſionis tempore limpida quoque aqua* febrium facit incendium. *Mulſum* vero dandum dicit ſublevandi *pulſus cauſa*, neſcius quomodo *proprium phrenitiæ paſſionis*, ineſſe parvum atque *humilem pulſum*, ut *lethargo majorem* ac *tardum*. Oportuit igitur *paſſionem deſtrui*, *non pulſum optari majorem*, *qui ſæpe pejorando conſurgit*, quando ex *phrenitico in lethargum* venerit: ita quoties potum demus *autumno*, vel *verno tempore*, non docuit.

Dehinc *clyſtere* utens, *mellis* metuit admixtionem: & ne *ventrem*, inquit, *fluidam* faciat, *decoquendum* juſſit, & clyſterem non timuit, ne ventres commoveret. *Falſum* eſt etiam, cum continua atque jugis fuerit paſſio, *circa veſperum cibum dare*. Siquidem etiam ſecundum ipſum ASCLEPIADEM (*tt*) releventur omnes (*uu*) *lucis initio*, veſpero acceſſiones augeantur. Natura, inquit, *veſperum* ob *aeris craſſitudinem* denſata inflat corpora, atque *initium generat acceſſionis*. Omnibus denique pulſus levatur ſtatim ex medio die initium ſumens. Omnino igitur *ratione caret veſperum cibo tempus eligere*, quo etiam ſecundum ASCLEPIADEM acceſſiones augentur.

Grave eſt etiam *oleo roſaceo* tumentia *refrigerare*, atque conſtringere, & ex odore vertiginem face-

---

(ſſ) anni tempeſtatibus
(*tt*) miteſcant.
(*uu*) cum dieſcit.

re, atque (*xx*) *pressuram*, & inchoante accessione ægros ad alium transmutare locum, quando *magis eos oportebat quiescere.* Sed neque *quotidie* cibo nutrire est, ut putat, *necessarium*, & magis si nulla fuerit *solutio* conjuncta, solo tumore constrictis corporibus, quæ ferre non possint quotidianam cibi sumptionem. Noxium est etiam omnes gestatione agitare: in his enim qui (*yy*) *solutione* & *constrictione* vexantur, magis extenditur passio, & horum testis ASCLEPIADES est primus. Etenim ait *vias apertiores* fieri gestatione. Denique defectio atque (*zz*) *diaphoresis* sequitur eos qui incongrue gestatione fuerint moti. Quod quidem nescius qua causa fiat, tanquam remedium quærens vexationis, *nocte* gestari atque *post cibum* ægris prodesse æstimavit, scilicet ut non solum *incongruo adjutorio*, verumetiam *inordinato* homines noceantur. *Neque* enim *sanis utilis gestatio post cibum.* Inertem etiam perspicimus diætam primam; quod ait quibusdam esse contrariam, nec tamen docuit quibus. Si enim quos nocet nescierimus, necessario etiam quos relevet, nescire consequitur.

Tradens etiam *periculosam* sive temerariam, quam φιλοπαράβολον adpellavit, ita composuit curationem; in alia, inquit, habere similia prædicta passioni solum, quod vinum (*aaa*) pro melle circa vesperam, non nisi omnino coegerit passio, damus: si minus, *primo ingressu statim*, atque *plurimum*, & *extentum* hoc est, *meracum* & *salsum* dabimus *vinum*, quod adpellavit τεθαλασσωμένον. Etenim, in-

---

(*xx*) soporem.
(*yy*) simul conjunctis.
(*zz*) virium dissolutio.
(*aaa*) cum.

quit, quæ primo imbecilla atque tarda de ſorbilibus & mulſa dederunt ægro commoda, omnia ex vino celerius atque coacervatim implentur. Etenim *fervor plurimus* accedit, & *pulſus erectio* & (*bbb*) *roſcida ſudatio* mitigatur, tanquam ex *cautere* per totum corpus vino concurrente, atque inurente ſenſum.

Scientia hæc eſt vehementior, quam dicit curatio, pro mulſa habens vinum, ut *cæteris peccatis manentibus* in odoribus, & fomentis, & ſternutamentis, & jacendi loco, & geſtatione omnibus ordinata, *graviorem ex vino vexationem* adjecerit. In quibus neque mulſum recte ſecundum ipſum ordinatum eſſe perſpicimus. *Dat* enim *vinum & incongrue, & intemporaliter, & immodice. Incongrue* inquam, quoniam *ſalſum*, & propterea *acre*: quando denique mel coqui jubet ne venter veniat in fluorem, atque ab aliis ordinatum clyſterem removet, tanquam in (*ccc*) commemorationem ducentem ac gravem *phreniticis* vexationem, hoc eſt *fluorem ventris*: cum magis ſalſum vinum id facile poſſit efficere, & per acrimoniam *febres*, atque tumens corpus incendere. *Intemporaliter* autem, (*ddd*) quomodo circa *veſperam*, quando ſecundum ipſum fit acceſſio: vel certe (*eee*) ſtatim, ut ait, *primo ingreſſu*, tanquam ſecum opportunitatem dandi adtulerit vini. Item *immodice* dare probatur, quomodo *mulſum*, atque (*fff*) *meracum*, & propterea ignis in modum

---

(*bbb*) ſudor colliquativus.
(*ccc*) commotionem inducentem.
(*ddd*) quoniam.
(*eee*) *ſubint.* dari jubet.
(*fff*) *ſubint.* dari jubet.

vexare perſpicitur, ut vere ipſum videatur *cauteris* eſſe virtute, quæ *nervos* incurrens atque penetrans infeſtæ jamdudum *febriculæ* conjuncta, etiam (*ggg*) *illud quo ſapimus* offendit & alienationem geminat mentis, aut *ſpaſmum* facit ægrotanti: adſerens etiam quod hi qui non mulſum neque meracum accipere voluerint, noceantur, ſi quidem minus inebriare contingat.

Erat enim (*hhh*) conveniens omni *phreniticо*, qui ab eo curatur, hanc adhibere (*iii*) propriam alienationem mentis, (*kkk*) aut omnino vinum accipere noluiſſet, (*lll*) quippe cum ASCLEPIADES ex vino frequenter *phreniticos* fieri fateatur, atque ſimiles ebriis inveniri; quonam modo igitur credi poteſt eoſdem *multo vino* accepto, atque meraco relevari, quibus *alienatio* ex vino (*mmm*) facta perſpicitur? quæ neceſſario in capite ſimili ſemper vexatione operatur.

In his nos credulitate occupari exiſtimat, ut (*nnn*) tanquam *ebrios* plurimum vinum in *altum ſomnum* demergit, non aliter etiam *phreniticos* vinolentia in ſomnum venire poſſe putemus, *mulſo* atque *meraco poto* adfectos. Hæc enim vere ipſorum aliquis dicere poteſt, ſed contra erit advertendum, *nullam* eſſe *ſimilitudinem* (*ooo*) *vinolentiæ phreniticæ*

(*ggg*) mentem.
(*hhh*) neceſſarium.
(*iii*) novam.
(*kkk*) niſi cum.
(*lll*) cum tamen.
(*mmm*) fieri.
(*nnn*) quemadmodum.
(*ooo*) cum vinolentia.

phreniticæ paſſionis. In *ebriis* enim alienatio ex *multitudine poti vini* facta perſpicitur, quæ (*ppp*) reflata temporalem citius alienationem ſolvit. In *phreniticis* vero ex (*qqq*) *tumore* alienatio fit. Quo conſiderandum eſt, quia vinum in his *reflari* minime poteſt propter *difficultatem viarum*, quæ ſunt ex morbo adeo *denſatæ*, ut neque (*rrr*) *naturalia*, quæ per *ſenſuales vias*, excludi conſueverunt, reddantur, neque accepta per cibos impertiri corpori facile videantur, vel per tenues vias digeſtione ſoluta (*ſſſ*) propriari atque ad ſua deſtinata pervenire; ſed manentia *ſtatione inſueta*, novo turbore corpus adficiant, atque *tumentia* exagitent, *mentem* quoque turbent, receptacula quæque percutiant, tempore quo etiam ille *ſpiritus*, qui naturalis ac tenuis eſt, *anguſtatos ſuos* (*ttt*) *ambitus* pungit, ac dolores corporis efficit.

Mitto etiam, quomodo, ſi ut volunt, ebriis ſimiles *phreniticos* accipimus, *non oportuit ebrium inebriando curare.* Nullus enim vinolentus bibendo in ſobrium venit. Nam magis e contrario qui perſeverando potaverunt, multo (*uuu*) poto multum *mentis alienationem* auxerunt, aut in *ſpaſmum*, aut in *vigilias incurabiles* devenerunt. Adjuvant etiam vexationem vinolentiæ *gravabilia odoramenta*, atque *fomenta*, quibus denique fortes ac recte valentes in conviviis incautius uſi,

---

(*ppp*) concocta & diſcuſſa.
(*qqq*) phlegmone cerebri membranarum.
(*rrr*) minus narium ſaliva &c.
(*ſſſ*) locis quorum propria ſunt ſubminiſtrari.
(*ttt*) fibras nerveas & membranas.
(*uuu*) potu.

multa se gravatione vexarunt. Ait etiam vinum in *cauteris* similitudinem (xxx) *abstinere sudorem*, cum idem dicat *mitigari alienationem* accepto vino, cum se plurimi ac per totum corpus *sudores* effuderint, ut secundum ipsum id fit intelligendum, quod nunc *abstineat* vinum sudores, nunc faciat.

Libro denique quem de *communibus adjutoriis* scripsit, utriusque virtutis vinum, dixit. Sicut enim, ait, *coagula densant* atque *extenuant lactis naturam*, cum caseus ex lacte crassescat, & materia exinde tenuior ac magis liquida fiat, quam *Græci* ὀρρὸν adpellant, atque hæc contraria eadem virtute (yyy) suffecta separantur. Non aliter & *vinum* vi quadam suæ *percussionis*, plurimam nutrimenti partem densare (zzz) accepimus, atque in se cogere, plurimam vero resolvere ac dirarare, & tenuem facere. Quibus probatur *repugnantia* ex iisdem promittere, & *frigido exemplo* denique errare. Sed neque (aaa) *discretionibus generalibus vini conjectura* convenit, falsis exemplis immissa.

In his denique adhuc constitutus, demonstrationibus vanis involvitur, dicendo vini tutam potationem in *passionibus tardis*, magis quam in *celeribus*, vel *acutis*: & in his qui *dimissionibus* relevantur, magis quam in his qui *continuatione* vexantur: & *senibus* magis quam in *juvenibus*: & præpurgatis *clystere*, vel *sitientibus*, magis quam *plenis cibo*: & *inchoantibus* ac *deficientibus* febribus, magis quam *summa tenentibus*: & post accessionem

---

(xxx) cohibere, reprimere.
(yyy) adfecta.
(zzz) observavimus.
(aaa) signis diagnosticis.

potius quam ante ipsam. Nunc autem curans *phreniticos*, ordine quodam usque ad finem servato, sicut in nutriendis (*) virginibus *vinum* dari constituit, in *celeri passione*, atque *continua*, & *omnibus*, nihil sane considerans, sed statim *primo ingressu*, ac frequentius in *statu* passionis. Tunc enim, inquit, vehementius alienantur ægrotantes. Præterea & in *vehementia* accessionis intelligitur dare, cum *vespero tempore* dandum jubet. Hæc sunt quibus neque sibi conveniens *phreniticorum* curationem ordinasse probatur, quanquam plurima infinita, quæ dici potuerant, consideratione taceantur.

(*) vox ut videtur corrupta.

CAPUT XVI.

Ad THEMISONEM.

(a) QUomodo THEMISON, scribens *celerum passionum* curationes, antiquorum peccatis adsentiens quædam incondita dereliquit. (Nam necdum purgaverat suam *sectam*, & ob hoc *phreniticorum* ordinans curationem quibusdam erroribus implicatur,) ipsius quoque inspicienda sunt singula. Primo igitur ex *prima diatrito* nutriendos dicit, nullis etiam cogentibus causis, quod est improprium tempori. Dehinc dat *sorbilia*, ita *cucurbitam*, aut solum *mulsum*, aut *pomorum* quædam. Quod nunc dissimilitudo virtutis ciborum docet, errorem facile ejus perspicimus. Etenim *sorbilia* quæ posuit, succi sunt melioris; *cucurbita*

(a) Quoniam vero.

vero cito corrumpitur. *Poma* quoque ſucci maligni, ac facile aceſcentis eſſe noſcuntur, etiamſi ſani fuerint accipientes: quibus denique (*b*) medio cibo uti debere *ſalutaribus præceptis* docuimus. Ubi autem *viſcera tument* (*c*) *altiora* febribus inuruntur, multo facilius aceſcere poma probamus.

Prohibet ſane in fomentis *peucedanum*, *caſtoreum*, *rutam*, ſed *aceto roſaceo* (*d*) admixto hiberno tempore; æſtate vero *aqua admixta* (*e*) roſaceo *initio paſſionis* caput foveri jubet, non (*f*) continens quomodo ob magnitudinem *tranſcenſo initio*, *extemplo paſſio ſumit augmentum.* Dehinc etiam ſi (*g*) initium habere potuerit, quod eſt (*h*) difficile, *erat melius conſtrictivis uti lenioribus*, *ut* oleo *Hiſpano*, atque *novo.* Etenim acetum, & roſaceum percutit, & implet caput. Quod autem *refrigerantis* ac denſantis virtutis eſt, *creſcente ſtrictura*, *incongruum* eſſe perſpicitur. Ita juxta differentiam temporum hyemis vel æſtatis fomenti mutare qualitatem, nullius eſt rationis.

Item duobus diebus, vei tribus tranſactis etiam *hederæ foliis*; vel *ſucco*, aut *ſerpylli*, aut *mentæ*, cujuſquam ſimilis viritutis ſimplicium, ac non *vehementium ſpecierum* cum *oleo*, atque *aceto* per intervalla fovendos dicit, etiam nunc non juxta ſectæ rigorem. Neque enim ad *numerum dierum*

(*b*) *ſubint.* pro.
(*c*) profundiores & penitiores corporis partes.
(*d*) *ſubint.* probat.
(*e*) *ſubint.* oleo.
(*f*) animadvertens.
(*g*) aliquam rationem id faciendi,
(*h*) vix probabile.

oportet fomenta ordinare, cum debeamus magis passionem, quam tempus adtendere, & neque constrictiva tumoribus, atque gravabilia ægrotantibus adhibere. Nam *hedera* cum bibitur, mentis errorem inducit.

(*i*) Cadit etiam, cum in accessione *thoracem* putat *ungendum*, & in his qui fortem ardorem sentiunt *rosaceo fovendum:* Hoc etenim quum virtutis sit *densativæ*, constringit tumentia, & ardorem geminat. *Omne* etiam *unguentum accessionis tempore*, & magis in augmento *febrium incendium facit ex superficie corporis ad altiora perduci.*

Peccat (*k*) enim & in reprobandis *odoramentis*, non docendo quæ illa sint, ac quot diebus abstinemus ægrotos, unguentum adhibendo quod est (*l*) *laboriosum*, nisi etiam cibus fuerit datus. Oportet enim *neque cibari non antecedente perunctione, neque perungi nisi cibus fuerit* (*m*) *consequutus.* Sed etiam post unctionem *aqua frigida* faciem fomentat, constringens rursum tumentia, *phreniticis* strictura caput adficit. *Omni* etenim *phrenitico strictura caput adfici nemo negat.*

Item inaniter putat, ex tertia die, qua mente alienari cœperunt, nulla accessionum discretione cogente, quotidie cibum dari. At si alternis diebus fuerit occurrens accessio, alternandum etiam nutrimentum. Oportuit enim nisi (*n*) declinato *solutionis metus* occurrerit, atque *quotidianis diebus* accessiones fuerint effectæ, omnibus cibum

---

(*i*) Errat.
(k) etiam.
(*l*) molestum.
(*m*) consecuturus.
(*n*) inclinante morbo.

alternis dari. Nam non potest corpus (*o*) *diurnis accessionibus gravatum* suis partibus *adplicare nutrimenta* quæ sumpserit.

Sed hic gravius peccans ait adjuvare etiam *lavacrum*, quanquam sit adhuc passio *in gradu* constituta, tribus tamen vel quatuor diebus transactis, ex quo menti alienatio irruisse videtur. Quomodo igitur conveniens *lavacrum* passioni probatur, cum nec dum quotidianis diebus cibum dare (*p*) videatur; Quippe cum adhuc passio suæ *magnitudinis* teneat *summitatem*, & propterea *mitigativa* sit *curatio* magis quam *turbatio*, ex lavacri commotione adhibenda. Mitto quod æger ad hæc magis *moveatur alienatione mentis*, nec ullo adsensu nostro pareat imperio. Siquidem (*q*) ferali mente omnia quoque accipiat, ac recuset.

Item jubet *lavantes* in solium primo descendere, tunc adsendentes e solio *fricari plurimum*, & rursum descendere, quod est laboriosum: sufficiebat enim *defricatos*, tunc solum descendere, cum se *modico* senserint *sudore* vexatos. At iste post lavacrum oleo *rosaceo* caput *fovet*, quo gravius odore impletum ægrotantes adficiat. Est autem *incongruum* neque consequens *laxata*, ut putat, *lavacro corpora* oleo rosaceo fomentare, cum sit frigidæ atque constrictivæ virtutis, & propterea *corporis* efficiat *densitatem*. Non enim ejus frigus erit aquæ frigidæ comparandum, cum aqua frigida ob exstinguendum fervorem, veluti *cocti corporis*, adhibeatur *rosaceum* vero perseveratio-

---

(*o*) quotidianis
(*p*) nimirum CÆLIO,
(*q*) veluti brutum aliquod.

ne quadam ſimili, atque eadem vexatione *jugi frigore*, & *odore percuſſibili* caput adficiat.

Vinum etiam dandum *declinationis* ordinavit *tempore*, cum neque omnibus hoc ſit adhibendum, ſed ſolis illis, qui *ſimplici ægritudine* adficiuntur. Dehinc non in omnibus prohibuit *vinum ſalſum*, ſed in his qui ſunt *inſueti*; neſcius (*r*) quia conſueti vexantur. Si quidem ſit *natura noxium febricitantibus vinum*. Conſuetudo autem nihil aliud prodeſſe, quam ut non plurimum corpora noceantur, poteſt. Nos vero oportet *conſuetudinem rerum utilium facere*, *noxiarum fugere*.

Dat etiam *vinum* plurimum ad *heminam*, (*ſ*) etenim vel tres dimidias (*t*) jubet ante cibum, ſi fuerit *ſitis nimia* conſequuta: quod eſt, ut ſentio, *ſine ulla ratione*. In gravi enim ac periculoſa ægritudine, (*u*) *nudis* & *ſitientibus viſceribus*, ingrediens *vinum* facile concurrit ad *nervos*, atque *mentis judicium* tollit, cum non habuerit præmiſſum cibum, in quem incurrens quadam tarditate moretur. *Proficientibus* igitur *ægris*, perſeverandum, inquit, in utendo vino, ſi vero (*x*) *profectus ceſſaverit*, tribus vel quatuor diebus *aquam* dabimus, uſum vini differentes. Rurſum dierum numerum & non paſſionis conſiderantes motum. Quapropter etiamſi poſt tres dies difficultas adhuc declinationis obſtiterit, non oportet ad uſum vini deſcendere. Etenim *ſollicitatæ paſſiones his impulſibus facile ad augmenta recurrunt*. Hæc nunc

---

(*r*) quod etiam.
(*ſ*) interdum.
(*t*) *ſubint*. dari.
(*u*) exſuccis.
(*x*) morbus ſteterit.

THEMISON *phreniticis* curandis ordinavit. Sed post ex *methodica secta* multa bona contulit *medicinæ*.

CAPUT XVII.

Ad HERACLIDEM.

EMpiricorum sufficit solit HERACLIDI *Tarentino* respondere. Etenim eorum posterior, atque omniun probabilior apud suos invenitur. Idem namque *primo libro* curationum de *internis*, *passionibus*, varias curationum differentias scribit, pro suspicionis causarum. Nam primum *phreniticum* jacere jubet *loco obscuro*. Siquidem, *luce*, inquit, eorum *mens asperatur*, cum plerosque magis videamus *tenebris* asperari, atque *luce* eos qui *adjuncta solutione* adficiuntur: adeo ut si paulo vehementior fuerit (*a*) *diaphoreticam* faciat *solutionem*.

Item jubet ventrem *clystere* deduci, tunc *phlebotomiam* adhiberi, atque *alia die* rursum usum innovari clysteris, non advertens, quomodo *tumentibus præcordiis*, atque extentis, vel adductis simul cum visceribus, *periculosum* est quicquam acre, vel quod commoveat immittere, *quo retento tumor magis augeatur*. Dehinc *turbulentum*, atque vexabile, & per omnia contrarium esse perspicitur, *eadem die clysterem atque phlebotomum* adhibere: quippe cum neque tempus utendi dixerit,

(*a*) colliquativam.

neque qui ſunt phlebotomandi diſcreverit. Etenim *eos qui ſolutione adficiuntur phlebotomia nocet, ut gladius.* (*b*) Extendit peccatum, dicendo, *oportere quotidie adhiberi clyſterem*, ut neque quieſcendi aliquod tempus occurrat, & cibo non nutriatur, & *viribus privet* frequens hæc injectio.

Tradens etiam *localia adjutoria*, caput fovet decoctionibus lauri. Tunc novacula *radit*, & ex eodem liquore *vaporat.* Poſt roſaceo oleo *caput* atque *nares* jubet ungi, percutiens *tumentia* ante declinationem ex *fomentis ſupradictis*, implens etiam caput ex odore lauri, atque (*c*) *gravedines* ac *vertigines* efficiens. Similiter & ex oleo (*d*) roſeo *conſtringens* ſimul ac frigidans *cerebri membranam.* Imponit præterea *cataplaſma* ex polline & aqua mulſa, admiſcens *iridis Illyricæ* decimam partem, & *lentiſcini olei*, & *aromatici calami*, quæ omnia ignea atque percutientia *odoris cauſa* eſſe perſpiciuntur & *oportebat tumentia congruis relaxare virtutibus.* Item jubet poſt hæc medicaminibus *ungi caput* & *nares*, hoc genere confectis: *peucedani*, *caſtorei*, *opii*, ut in libro quem NICOLAUM vocat, *olei* (*e*) *amygdali amari* pondus ſupra ſcriptum: ſed prætriti cum *aceti* ſextariis duobus, & *olei irini* unciis tribus, quorum uſus ita, inquit, erit adhibendus, ut *præcalefacta* adponantur. Ex quibus *gravatio* capitis, atque *commutatio* naſcetur, ut ſtatim *alienatio in preſſuram* tranſeat, cum tantis perniciosiſſimis malis ægrotantis caput obſidetur. *Empiricos* laudat.

(*b*) majus reddit.
(*c*) gravitatem HIPPOCRAT. καρηβαρία dictam.
(*d*) roſaceo.
(*e*) amygdalini.

Mirandum ſane unde hæc ei veniſſe ſuſpicio potuerit, ut diſcrepantium commixtio unam facere virtutem poſſe putaretur: vel quæ illis *natura* vel *fortuna* fuerit *magiſtra*, quas ſæpe ſuis inventionibus duces fuiſſe teſtantur. Vel certe quomodo diſcrepantes hiſtoriæ in iſta medicaminis confectione judicium tacuerunt. Sed ſi hoc *experimentum* dixerint, apertiſſime delirabunt, ut (*f*) *laborans empirica* ad occultarum confugiat adprehenſionem cauſarum.

Item jubet nocte *caput vaporari*, ſi facultas fuerit, *papaveris* decoctione, atque *ſerpylli*, non adjiciens uſus cauſam, neque rationem qua ſit hoc circa *veſperam* faciendum, cum tunc maxime *phreniticis aſperius tempus occurrat*. *Vaporatio* autem caput exagitat, & *tunc magis in requie fuerat habendus ægrotans*. Sed intelligimus eum in iſta fuiſſe rerum diverſitate coactum, cum ſolas vigilias ægrotantis adtendit, ſomnum quibuſcunque (*g*) ambitionibus adhibendum exiſtimare.

Quinetiam potandos dicit ægrotantes antidoto διακωδίων, cum *mulſi* ſextario, vel (*h*) *ſeminali medicamine* toto, qnod διασπερμάτων vocant, aut tuſſiculari, quod (*i*) *bechicum* adpellant: cum magis *opium*, hoc eſt papaveris lachryma, *denſitatem faciat*. Item ſeminalis potio acrimoniæ cauſa incendium faciat viſcerum, atque hæc omnia gravando *preſſuram magis*, *quam ſomnum* facere videantur. Somnus enim *laxatis* fiet *corporibus in-*

(*f*) dogmatibus Empiricorum addictus.
(*g*) modis & rationibus.
(*h*) emulſione ex ſeminibus, imprimis papaveris.
(*i*) τὸ βηχικὸν.

dulgentia naturali: preſſura vero denſatis (*k*) adverſitate morborum. Igitur præſcripto medicamine, negligens (*l*) *tumentia*, contrariis ſtricturam geminat rebus, non ſimilibus, quomodo cum *cauſa impeditionis ſomni*, hoc eſt *ſtrictura* augetur, in *lethargicam paſſionem* ægrotantes veniunt, vel certe majores vigilias.

Item eodem libro accuſans utentes medicaminibus ex *caſtoreo*, atque *aceto* & *ſpondylio* confectis & *cataplaſmatibus* ex aceto ſiquidem ſint acria, ipſe quoque nihil minus peccare videtur, adhibens gravabiliora atque acriora. Etenim dicere (*m*) quomodo non ad ſolvendam paſſionem, ſed ſervandi ægroti cauſa hæc adhibuit, eſt omnino (*n*) inertiæ. Nam *primo* quibus paſſio levigatur, his etiam æger ſervatur. *Secundo* quibus laborans retinetur in vita, iiſdem etiam paſſio relevatur. *Tertio*, (*o*) cum non parvo periculo ex vigiliis adficiantur, majus tamen ex preſſura HERACLIDES facere perſpicitur: nam ſomnum feciſſet gravabilibus utens medicaminibus, cum ſit ſemper, ut *in utilibus majus*, ſic *in adverſis levius eligendum*.

Sed inquit; ut *vinum* mediocriter datum *nutribile* ac *ſalutare* probatur, plurimum vero atque *immodice* datum capitis *gravedinem*, atque *mentis errorem* facit, ſic etiam medicamen ſupradictum moderatione accedente *ſomnos faciles facit remota*

(*k*) ut cari, comatis, lethargi.
(*l*) inflammatam cerebri membranam.
(*m*) quod.
(*n*) artis inſcitiæ.
(*o*) licet.

gravedine. Eſt autem exemplum diſſimile: horum etenim medicaminum etiam ſi *parvum* quidquam fuerit datum, *gravedinem facit:* ſi *plurimum*, *mortem.* Nam (*p*) quia gravatio magis quam ſomnus efficitur, facile perſpicere poterimus. Etenim de ſomno *coloris melioris* efficitur corpus, *fortitudine* quoque adquiſita. Ex medicaminis vero preſſura, *pallor*, atque *debilitas*, & *gravatio* corporis nimia ſequetur. Dehinc *omnis ſomnus in corpore ſpirabili*, *atque indulgentia laxato naſcetur.*

Medicamina vero quæ ob vigiliarum mitigationem (*q*) dantur, magis *acceſſionis tempore* offerenda dicuntur. Tum enim vehementer *ægri* vigilare noſcuntur, cum ſit impoſſibile (*r*) turbore corpus impletum, ſomni tunc indulgentia temperari: cum hæc *incommoda medicamenta etiam ſponte* (*s*) *venturam corrumpant*, *incendant etiam altiora*, *& præſentem augeant acceſſionem.* Neque enim licet etiam *cibos conſuetos*, atque qualitate convenientes acceſſionis tempore offerre, vel quod multo levius eſt, *aquam*, quæ corrumpi poſſe negatur: ut cuiquam minime credendum ſit *ſupradicta medicamina iſto præſertim tempore*, *digeſtionis officio ſuperari.*

Ait præterea ſuccumbente paſſione dandum (*t*) *viſcellum* ſimplex gallinaceum, vel ſuccum *ptiſanæ*, *ordei*, vel *orizæ*, ac deinde per profectum ad uſum *panis* accedere, (*u*) levi ex farina confecti,

---

(*p*) quod.
(*q*) *ſubint.* ab Empiricis.
(*r*) vexatione, inquietudine.
(*s*) ſomni indulgentiam.
(*t*) juſculum ad gelatinæ conſiſtentiam coctum.
(*u*) a furfure purgata.

& *gobionum* piſcium pulmentum: *ſecundo* carnis gallinaceæ ac leporis, quæ non recte quiſquam etiam declinationis tempore ob reficiendum corpus prima dari permittat: quæ quidem declinatio forſitan nec futura ſit his malignis ægrotanti atque tantis adfecto, & nulla mitigatione (*x*) tolerato, neque *oris collutione*, neque *potu*, neque *cibo*. Mitto etiam quia ſi dimiſſio fuerit facta, non neceſſario tempus accipit præfinitum. Etenim nunc decima nunc duodecima die vel ultra ſæpius occurrit. Quapropter tantis diebus *immutritum ægrotantem relinquere*, *non ſolum noxium*, *verum etiam impoſſibile* eſſe perſpicitur. Dehinc gallinarum *viſcellum* facile corrumpitur: & eſt digeſtione difficilis hordei atque ptiſanæ ſuccus: *oriza* vero quod ſtringat, nulli dubium eſt, atque ita panis quantitatem augere nos quoque admittimus, piſces autem *gobiones* dare prohibemus: etenim locum in *paſſionis* celerrimis vel *acutis* (*y*) *acrior cibatio*, quam πολυφαγίαν vocant, non habet.

Item dari jubet *leporem*, atque varios cibos, & neque *lavandam faciem*, neque aliam congruam corporis diligentiam ordinandam vidit, ſine qua minime *digeſtio* fieri poteſt, non ſolum *variæ cibationis*, verum etiam *ſimplicis*, niſi corpori perunctionibus, atque alia diligentia recreato fuerit illata.

Hæc eſt ſecundum HERACLIDEM, curationis prima phreniticorum (*z*) differentia. Illis vero qui

---

(*x*) recreato.
(*y*) amplior.
(*z*) ratio, modus.

cruditate phrenitici fuerint effecti, ita curationem ordinavit, ut supradicta similiter adhibeantur. *Cataplasma* vero *non prius quam clyster antecesserit*, adhiberi jubet. Etenim perniciosum est, inquit, *pleno corpori* hæc adhibere. Siquidem ad caput rapta materia in *salutis periculum* præcipitet ægrotantem: atque ita prohibendam dicit *phlebotomiam*, adhibendam vero corporis *purgationem*; poto medicamine quod adpellat (*aa*) *diascammonias*, hoc est, quod ex *diagredi* conficitur: qui adparet hunc suæ *sectæ* peccata custodire, ut ea quæ *Empirici* servabilia vocaverunt, etiam nunc adhibenda existimet, *adjiciens etiam pejora*, *prohibendo phlebotomiam*, quæ simplici atque innoxio laxamento, nullis obstantibus adhibita, facile *laxato corpore passionem posset auferre*, cujus in vicem nocentissimam adhibendam *purgationem* judicavit *scammoniæ*, quæ est *gravior cruditate*, quam ipse metuens in contraria venit argumenta curationis. Etenim ex hac corporis *purgatione*, sive liquidarum detractione materiarum, *corpus* (*bb*) *confluere* manifestum est, atque ejus *solida* quadam (*cc*) dimissione (*dd*) *lentescere*, & *in liquida migrando* depetire.

Mitto quod neque suæ *sectæ* servaverit *morem*, quæ nunquam (*ee*) *vasculorum corporis materias* adtenderit, si quidem sint non solum *occultæ*, verumetiam *Empiricorum* judicio (*ff*) *falsissimæ*. Ete-

---

(*a*) διασκαμμονίας catharticum.
(*b*) diffluere, colliquari.
(*c*) liquatione.
(*d*) tonum suum amittere.
(*e*) humores & spiritus.
(*f*) fallacissimæ.

nim existimare, quod (*gg*) discendæ passionis causa succorum nominaverit cruditatem, potuimus; nisi etiam curationis ordinem ipsum intuens discessisset, adeo ut etiam *scammoniam* bibendam credidisset. *Quærendum* etiam *ubi* esse cruditatem suspicetur, quam scammonia putaret detrahendam. In *intestinis?* sed sic fuerat melius atque facilius eam *clystere* purgare. An in *capite*, an vero in *toto corpore?* Sed cum hæc incerta demiserit, videtur *judicium sui operis medicamini dimisisse*, ut tanquam sentiens animal operetur, separando a naturalibus aliena, hoc est cruditate corrupta, atque sola (*hh*) detrahere.

Tertiam inde curationis scribit differentiam, qua jubet, si totum corpus non *fuerit multo sanguine gravatum*, sed *solæ capitis partes* videantur impletæ, ex *vena frontis* detractionem fieri: cum neque passionis esse causam sanguinem videamus, neque ex patientibus locis detractio aliquid medeatur: etenim *magis patientes adimplet partes. Primo* ex antecedenti *fasciolæ constrictione*, secundo *ipsius coactæ materiæ concursu.* Illos vero quos (*ii*) *corruptione*, inquit, in passionem venisse viderimus, *clystere* purgandos, *aquam dantes largius bibendam.* Aliquando etiam *mulsum*, aut *vinum Chium*, aut *Rhodium*, sed primo aquatum, secundo etiam meracum. Hic etiam rursum suæ sectæ rigorem contempsit, *suspicionibus in errorem deductus*, liquidarum materiarum corrupta temperare festinans, & *ita jugiter*, ut *incurabilem* faciat manere *passionem*, dat etiam sine tempore *vinum.*

(*g*) dignoscendæ.
(*h*) detrahat.
(*i*) succerum corruptela.

Et quid pluribus? ita curandi diligentiam prætermisit, ut varia mobilitate videatur esse confusus: quorum omnium meminisse decet, sed *solam supradictorum probare rationem.*

Hæc sunt quæ de *phrenitica passione* credidimus ordinanda, nunc de cæteris celeribus, vel *acutis cum febricula* passionibus, sequenti docebimus libro.

ACUTORUM MORBORUM

LIBER II.

CAPUT PRIMUM.

De Lethargo.

CElerum cum febricula paſſionum primum ſuperiore libro tradidimus *phrenitim*, nunc *lethargicam* cum cæteris ordinamus. Vocatur *lethargus* a *conſequenti paſſioni oblivione*, *Græci* enim λήθην oblivionem vocaverunt, ἀργίαν vacationem, quam corpori atque animæ ingerit vis ſupradictæ paſſionis. Et eſt comparatione *gruvior phrenitide*, non aliter quam negatus in toto viſus, (*a*) ab ex parte impedito: vel ſilentium, ab impedita loquutione: aut ſurditas, ab auditus falſitate: vel hebetudo ſenſuum, a difficultate. Denique *vehementi ſtrictura phrenitici* ſæpiſſime *in lethargiam* venerunt, ut *declinante lethargia*, aliquando e contrario lethargi *in phrenitim* deciderunt. Quorum haud rarius ex ſupradictis prima contingunt. Siquidem facile *periclitantes paſſionis magnitudine in pejorem deveniant: difficile autem in periculis bona locum accipiant.*

Quapropter ASCLEPIADI credendum non eſt, dicenti *pulſum*, atque *reſpirationem* (*b*) humanio-

(*a*) quam ex
(*b*) liberiorem, majorem

rem *lethargis* quam *phreniticis* esse: siquidem habeat magnitudinem & percussum fortiorem, (*c*) tanquam jugi somno dormientium. Sed *neque iste somnus est* impeditus omnibus naturalis actionis officiis, sed *est oppressio* quæ nihil (*d*) resumat ægrotantem, ac potius demergat. Neque etiam pulsus fortis, sed magis debili percussu invenitur, atque piger, ac inanis. Quod autem inflatione *erectus* videtur, *non fortitudinis causa, sed passionis nequitia* id efficitur. Denique in his quibus ob phreniticam passionem *parvus* est pulsus, sæpe pejorante morbo, atque in lethargiam transeunte, pulsus in *magnitudinem*, erigitur, ob *specialem proprietatem* passionis, non proficientium virium causa: quippe cum generaliter *strictura pejorante omnia deterius roborentur*.

Sed hanc plerique definientes passionem, aiunt *lethargiam* esse *deliriationem*, *cum febribus acutis ad perniciem ducentibus*: & erat verius non deliriationem sed *pressuram* dicere. DEMETRIUS autem HEROPHILUS (*) de passionem inquit acutam *cum pressura*, & *obstrusione sensuum frequenter cum febribus*. In qua definitione ambiguum est, quo sit accipiendum *frequenter*: utrum ne antecedenti serviat orationi, ut intelligamus frequenter cum difficultate sensuum: an consequenti sit orationi jungendum, ut intelligamus frequenter cum febribus: an vero utrique serviat parti. Quo invenimus nihil recte esse definitum: semper enim cum difficultate sensuum atque febribus hæc intelligitur passio.

(*c*) utpote ?
(*d*) reficit.

(*) Nonne HEROPHILEUS

ASCLEPIADES hanc paſſionem non definivit, ſed ALEXANDER *Laodiceenſis* ex Aſia ſecundum ipſum ait *lethargum* eſſe *ſubitam*, *recentem paſſionem cum febribus*, & *preſſura*, atque *ſenſuum jugi difficultate*. Sed quoniam videmus eſſe plerumque etiam cum *dimiſſionibus* lethargiam & (*e*) *preſſuram*, id ipſum eſſe perſpicimus, quod eſt ſenſuum difficultas, quanquam hanc graviorem putaverint preſſuram. Nec ſane debuit in definitione *magnitudinis differentias ponere*, ſed *paſſionis genus* quemadmodum intelligatur, *manifeſtare*. Nonne etiam complexionem magis *phreniticæ paſſionis* cum *lethargia* dediſſe videtur? Denique *alienatio ſubito adcreſcens*, cum febribus acutis, *phreniticæ* eſt paſſionis, *Preſſura* vero cum febribus *lethargiæ*.

ATHENÆUS Tharſenſis *furorem* (*f*) inquit *mentis cum mœſtitudine*. Siquidem ASCLEPIADES in primo libro celerum paſſionum dixerit *phreniticis* alienationem cum *turbore* effici, in *lethargis* cum ſomno atque *triſtitia*.

Alii alienationem cum mœſtitudine, & jugi ſomno eſſe lethargiam dixerunt. Etenim non habent mentem in furorem extentam, ut ATHENÆUS ait, ſed ſola in alienatione conſtitutam, ut ASCLEPIADES.

Sed etiam nunc traditiones has caducas ſimul advertendas exiſtimo, ex his quæ ſupra memoravimus: *non* enim *ſomnus in lethargis eſſe advertitur*. Nam nullum periculum (*g*) ſequeretur. Neque etiam acceſſionis tempore magis

---

(*e*) ſomnum profundum morboſum.
(*f*) vocat.
(*g*) e ſomno.

ægros (*h*) adficeret. Item *neque jugis* in omnibus eſt *preſſura*, ſed etiam plerumque dimiſſionis *intercapedine* levigatur. At ſi cum febribus eſſe non adjungerent, ut ASCLEPIADES fecit, communis eſſet cum *epilepſia* definitio.

LEONIDES autem *Epiſyntheticus*, lethargus, inquit, eſt (*i*) *lethargia ſecundum vias membranarum, cum furore mentis*, atque *febre*, & *mœſtitudine*, ac *preſſura*, & *pulſu magno*. Sed neque *cauſam* oportuit dicere (*k*) quæ ſit occulta, atque apud veteres diſcrepans, & injudicata, cum *paſſionem manifeſtare fuerit magis neceſſarium* Neque etiam mœſtitudinem, vel triſtitiam, atque mentis furorem. Etenim *preſſura* in ſemet *mœſtitudinem* atque *furorem* continet.

Item MENEMACHUS preſſuram inquit celerrimam, vel acutam cum acutis febribus, & non ſemper jugibus.

SORANUS vero cujus hæc ſunt, quæ latinizanda ſuſcepimus, *preſſuram* inquit *celerem* eſſe, vel *acutam cum acutis febribus*, & *pulſu magno*, ac *tardo*, atque *inani*: frequentare inquit, in ſenibus. Siquidem *aptior* ſit *ſenſuum difficultati atque demerſionis ipſa quoque ſenectus*.

---

h) *ſubint.* lethargus.
(*i*) obtruſio.
(*k*) quia eſt.

CAPUT II.

Quæ sequuntur eos, qui in lethargiam venire posse noscuntur.

SEQUUNTUR eos, qui in *lethargiam* faciles, ac proni esse videntur, aliqua *communia* ex his quæ etiam *phrenitim* fore denunciant: aliqua *propria*, quæ etiam in causa communi tanquam propria accipimus, ut sunt ea quæ in *phreniticam* venturos passionem designare præscripsimus, ut *febres acutæ*, ac *vehementes*, & sæpe continuæ, ac *difficile ad superficiem corporis adscendentes*, *capitis gravedo*, vel *somnus* aut *dolor vehemens*, *repente ac sine ratione recedens*, *tinnitus aurium*, *vultus inflatio*, *pallor* tanquam ex vinolentia, & *mœstitudo*, vel *tristitia*.

Erit præterea *tacitus* is, qui natura, atque sanitatis tempore fuerat multiloquus, tunc *piger*, ac *non sponte initians loquelam*, sed alienam prosequens: *suarum tacitus querelarum*, aut, non (*a*) digna ratione referens: *multo* etiam veluti *somno adfectus*, *nec quicquam somnians*, aut eorum quæ somniaverit memor: *schema* jacendi frequenter *supinum*, contra solitam consuetudinem: *oscitatio jugis*, *extensio crurum*, tanquam mox e somno expergiscentis. *Pulsus* etiam *inæqualis*, post aliquot saltus ordinatus, aut inordinatus, & pro *ætate*, aut *natura*, *major*, aut *tardior*: aliquando etiam in *inanitatem intercapedinatus*: quod denique *si in phrenitica passione contigerit*, *in lethargiam transi-*

(*a*) ἄλογα.

turos ægrotantes significat. Etenim *majorem pulsum* fieri, neque *tardum*, neque *inanem*, sed ætati ægrotantis convenientem, speciem *declinantis phreniticæ passionis* accipimus. *Certius* etiam, quoties circa numero *æquales minoribus majores saltus* efficiuntur, ac velocibus & densis & vehementibus: multo *potius*, si etiam *plures majores* atque *celeres* fuerint.

Quidam attenderunt etiam naturam ægrotantis si *salivosus* semper fuit. Etenim declives atque faciles istius *modi* naturæ in *pressuram* probantur. Attendendam etiam *consuetudinem* aiunt, utrum ne febricitans in *pressuram* venire ac demergi solebat. *Ætatem* quoque, utrum ne sit *mediæ*: & *aeris* habitum, utrum multis hanc ingesserit passionem: & *anni* vel temporum partem, utrum *autumni* media. Tunc enim frequentare istam passionem putaverunt.

CAPUT III.

Quomodo discernimus lethargos ab his, qui similibus adficiuntur.

JAM *lethargum* suis signis intelligere debemus. Est enim melius atque certius; sicut in *phreniticis* diximus, si dicas, quæ sunt signa lethargi. *Unum* enim quicquam *singulare*, ut est *pressura*, vel *febricula*, *non significat lethargum*, sed *plurima* atque sibi convenientia, & concursus multorum *signum* faciunt *indicabile lethargi*, ut lethargus certis ac propriis signis sit indicatus, quemadmodum supra diximus.

Intelligimus (*a*) *lethargum* ex *obstrusione*, at-

(*a*) cognoscimus.

que *hebetudine ſenſuum*, *preſſura* etiam, atque *febre acuta* ſive jugi, ſive (*b*) dimiſſionibus intercapedinata, *pulſu magno*, *tardo*, *inani*, & *inflato*. Sine his enim neque eſſe intelligi lethargus poteſt. Nam quædam præterea alia ſequuntur multa vel pauca, ſecundum *paſſionis magnitudinem*, vel generalis *temporis* atque ſpecialis *differentiam*.

Primo igitur ſequitur *dubia* atque *ſomni ſimilis preſſura* & demerſio, ſed quam facile æger vocatus excutiat, ut interrogatus, ſane non ſtatim, ſed (*c*) ſecundum, reſpondeat: ac tunc juſſus, vel *oſcitatione perſuaſus*, inſpectioni *linguam* exerere, aut non id faciat, aut tarde fieri conſentiat: vel cum protulerit, non reducat, aut tarde colligat: ſi quid etiam *manu* tenuerit, *neſcius* atque *ſine voluntate* dimittat, & loquens, *priorum obliviſcatur*: & neque *enuntiationis ordinem* ſervet, ſed potius intercipiat; exprimere etiam quæ loquitur non valeat, nullo corpori (*d*) adteſtante defectu; *manus* impatienter extendat, adteſtante *tremore* atque membrorum *ſaltu*; nulla etiam *ſiti* adficiatur, ſed frequenti ac reflua *ſaliva* ore impleto ſpuere contendat, & tunc ſupra mentum atque ſtramenta ſputa remaneant: ac ſi *urinam* mittere fuerit admonitus, *matellam* non poſtulet, vel ſi petiverit, neſciat datam: atque *urinam* non dimittat, niſi fuerit admonitus: hanc quoque *difficulter* excludat, vel *paulatim*, & *turbulentam*, aut *plurimam*: ſalivam aut (*e*) *exuſtam*, & *craſſiorem*, aliquando etiam *indigeſtam*.

(*b*) remiſſionibus.
(*c*) paulo poſt.
(*d*) præſente.
(*e*) tenacem, viſcidam.

Crescente passione jacendi *schema supinum* juge efficitur: color *plumbeus* vel *lividus*: vultus ipse *conductus*, atque concurrentibus superciliis *caperatus*, non aliter quam mœstitudine sive luctu videmus oppressos: *lapsus* etiam a superioribus lecti partibus, ad inferiora, negligenter adjectis cruribus, atque conversis, residuo quoque corpore non recte disposito, *pulsus* major, rarus, inflatus, *respiratio* tardior, ac major, cum quodam *gemitu*, conductio *præcordiorum* ad superiora: oppressio sensuum, & difficilis *recordatio*, adeo, ut nisi puncti vel incitati fuerint, non excitentur, sed, solum motis labiis leviter, atque conductis, rursum demergantur. Sunt etiam *obscuræ vocis*; ac deinde si fuerint manu *lacessiti*, aut punctione aliqua *adhortati*, vel *titillati*, non exaudiunt: vel si quis eorum manus levaverit, ac dimiserit, statim concidunt: *ventris* etiam atque *urinæ* officio cessante, adeo ut *plerique* ex passione liberati, *discussa pressura*, *urinæ reddendæ impossibilitate* moriantur.

At si *passio* in pejus duxerit ægrotantem, *respiratio* (*f*) crassescit, ita ut exstincta videatur; *palpebrarum* quoque non perfecta fit *conclusio*: *oculorum* cavitas: *linguæ* ariditas, atque asperitas: *dentium* confixio, atque *stridor*, adeo, ut si quisquam velit facere eorum discretionem, non valeat: vel certe semiclauso *ore* ac dimisso, ita ut *mentum propendens* videatur, & neque manu conduci separata possint, *stridore pectoris* (*g*) adtestante; immissi, vel destillati ob nutrimentum liquoris difficilis atque *interrupta transvoratio*; *pal-*

(*f*) fit tarda & alta.
(*g*) accedente.

lor, & *ſaltus* inferioris labii: *articulorum* ſtupor: *unguium* livor: *guttur* prominens, atque exſtans: *pulſus* humilis, ac per (*h*) profectum (*i*) diminutus: *ſudores* frigidi, & glutinoſi, vultum (*k*) ſecus & collum: plerumque etiam *involuntaria* urinæ, vel ſtercorum *emiſſio*, & *ſpaſmus*, hoc eſt, membrorum conductio.

At ſi ad ſalutaria ſigna æger cœperit recurrere, ut paſſio minui videatur, omnia ſupra dicta leviora efficiuntur. Et quidam profecto in *ſanitatem* veniunt, reddita ſcilicet valetudine meliore. Aliqui vero alienatione mentis recedente *preſſura* tentantur. Tunc etiam *pulſus* humilior, atque denſior fit, aut admoniti rurſum demerguntur, ut complexæ (*l*) duæ paſſiones videantur. Aliqui denique e *lethargo* liberati abſolutam *phrenitim* incurrunt, ac deinde ad ſanitatem (*m*) pervenerunt.

(*h*) ſenſim.
(*i*) λυθρίζοντα pulſum innuit.
(*k*) juxta.
(*l*) lethargus & phrenitis.
(*m*) perveniunt.

CAPUT IV.

Quomodo distinguendi sunt lethargi ab aliis passionibus.

QUOMODO & *defectio animi* in febribus veluti sensuum facit hebetudinem, ita *mandragoram*, vel *altercum* bibentes opprimuntur gravatione horribili (*), sopori simili: item *lumbricorum* (*a*) adfectione (*b*) deprimuntur: discernenda cuncta sunt, ne *falsa similibus inducti vera putemus. Defectionibus* igitur *animi densus* atque parvus, & *coacervatim interiens pulsus* efficitur. *Mandragoram* vero, vel *altercum* bibentibus *pulsus rarus*, sed *plenior* fit: at *lethargis inanis* & *inflatus*.

Item his qui *lumbricorum* vexatione adficiuntur, vel demerguntur, *densus* & *velox*, & *parvus*, & *deficiens pulsus* invenitur. Et magis tempore (*c*) *dimissionis* febris. Nam *accessionis augmento*, quantum creditur, non valent *ventrem* vel *stomachum* lactare atque (*d*) fellare. In *dimissione* vero, (*e*) resumpta inhærescunt visceribus, atque ita *consensum pressuræ* (*f*) ex antecedentibus faciunt. Sed hæc diligentius *chronicas passiones* scribentes, cum de *lumbricis* dicemus, docebimus.

(*) l. *sorbili*.
(*a*) vexatione.
(*b*) soporosi fiunt.
(*c*) remissionis.
(*d*) fugere vermes.
(*e*) resumptis viribus.
(*f*) ægrotantibus.

CAPUT V.

Quomodo lethargi inter se differunt.

QUIDAM ASCLEPIADIS sectatores etiam differentias *lethargorum* tradunt. *Alium* enim *per se* dixerunt, alium ex antecedenti passione, ut *phreniti*: atque ex ipsa venientem esse graviorem. Item *alium* esse *novum* atque recentem, alium *inveteratum* atque tardantem, quod ex numero dierum conjici dixerunt: & *alium* fieri *cruditate* ac plenitudine adfecto corpore: *alium* inani atque *passione macerato*. Sed nullam *lethargi* (*a*) velut ad *lethargum*, differentiam tradiderunt, *existimabile non certum probatum est liquidorum plenitudine judicare.*

Item MNASEAS lethargum *alium strictura* effici, *alium solutione* dicit. Siquidem somnus nunc densitate, nunc laxamento corporum fiat: atque in aliis (*b*) *abstentas* videamus (*c*) officiorum naturalium *egestiones*, in aliis vero *largius effluentes*, adeo ut etiam involuntario exitu stercora sive urinæ fundantur. Item multi nostrorum, *temporibus* atque *magnitudine* constare *lethargi differentia* tradiderunt: alium enim *magnum*, alium *parvum* esse dixerunt, & alium *initio*, alium in *augmento*, alium in *statu*, alium in *declinatione*, & accessione vel dimissione: sed omnes illius sum-

(*a*) ad se comparati.
(*b*) suppressas.
(*c*) excrementorum.

mas atque (*d*) generales paſſionis differentias tradiderunt, & non ſpecialem lethargi.

Falſum etiam *ſolutione lethargum fieri*, quantum intelligitur, atque eſt lethargus. Etenim *involuntariam* egeſtionem (*e*) dixerint, in infantibus non *ſolutionis ratione*, ſed *mentis occupatione* fieri. Nihil denique pluſquam naturæ convenit, (*f*) excludunt, ſed ſolum quod debuit etiam voluntate deponi (*g*). *Tenues* etiam *ſudores preſſura* fieri, *non ſolutione* intelliguntur, ſed neque adjutoriis laxativis, ſicut in *adjutoriorum* libris demonſtrabimus. Quapropter *lethargi* proprias differentias (*h*) tradendas eſſe negamus.

(*d*) quæ aliis omnibus adfectibus conveniunt.
(*e*) i. e. dicendum.
(*f*) reddunt pueri.
(*g*) Exiles madores, ſæpe frigidi.
(*h*) ab iis traditas.

CAPUT VI.

Quis locus in lethargicis patitur, & quomodo curandi ſunt lethargiti.

MALE quidam etiam *patientem in lethargo partem caput* dixerunt. Ut enim de *phreniticis* dictum eſt, communiter *totum corpus* patitur, febricula teſtante: ſpecialiter vero *caput* plus, ob multitudinem vexationum, quibus adficitur. Difficile igitur intra *primam diatriton* lethargus fieri poteſt, ſed frequenter poſt ipſam: & oportet (*a*)

(*a*) *ſubint.* ægrum.

jacere in *loco lucido*, atque *calido* mediocriter: in acceſſione per intervalla *leviter excitari*, ſuo nomine exclamatum. Etenim jugiter *titillatu*, vel impreſſione, ac *punctionibus* hoc facere, nihil aliud quam *ſtricturam* erit *aſperare*, ob inquietudinem (*b*) quaſſationis. Dehinc (*c*) probabilior atque *magis eligenda erit quaſſabili* & *noxia vigilantia*, *quieta preſſura*: blando etiam articulorum *fricamento* utendum eſt. Eſt autem in acceſſione jugi *fomento caput* curandum, *oleo* dulci, atque calido: mollibus lanis *collum* tegendum: blandioris laxamenti cauſa locorum capiti vicinantium, & ob excipiendum ex fomento, ſi quid e capite fuerit lapſum.

Tunc aliquando etiam e lecto ad lectum *tranſlatione* facta, & declinante acceſſione, *oris collutio* adhibenda: terminata vero *potus dandus*. At ſi *febrium continuatio* fuerit, primo tempore lucis erunt (*d*) *media fovenda*, atque dorſum lanis mollibus circumtegendum: ſi magnitudo paſſionis exegerit, *phlebotomia adhibenda intra primam diatriton*, aut in ipſa.

Dehinc ſi *ante diatriton* fuerit adhibita, ſola *fomentatione* utemur, atque *oris collutione*, & pota *aqua* vel *mulſo*. At ſi in *ipſa diatrito phlebotomia* fuerit adhibita, paululum differentes, *perunctionem* adhibemus, atque *oris collutionem*. Tunc dabimus *ſorbilem cibum* ob celerem paſſionem. Si *faſtidioſus* fuerit ægrotans, tanquam ſanis ſæpe contingit poſt altum ſomnum experrectis, vel ſi tranſvorationis oblitus, aut piger,

---

(*b*) vexationis.
(*c*) optabilior.
(*d*) hypochondria & præcordia.

tanquam ſunt ſani imminente ſomno declives in ſoporem, erit *acceleranda alicujus cibi tranſvoratio*, ut corpus relaxetur. Nam graviore ſtrictura lethargi phreniticis adficiuntur.

Dehinc *poſt cibum* paululum differentes, atque articulorum *blanda fricatione* utentes, dormire permittimus: atque uſque ad *declinationis* tempus, *alternis diebus a cibo abſtinemus*, permittentibus viribus, ſolo *mulſo* utentes. Si autem vires obſtiterint, etiam his diebus ſorbilia mediocriter damus,

At ſi venter non fuerit ſolutus, *clyſtere* utemur, *oleo* calido & *aqua* in qua decoctum ſit *fenugræci ſemen*, admixto aliquando *melle*. Tunc ſicut in *phreniticis* tondendum caput atque radendum, & adpoſita *cucurbita* ſcarificandum, & ſanguiſugis relevandum. At ſi (*e*) *media* tumeant, ſimili curatione *cucurbitæ*, atque *cataplaſmatum* utemur, tanquam in *phreniticis* ordinavimus.

Adtendenda etiam cætera paſſionum accidentia; *ſymptomata* Græci vocaverunt, ut ea quæ in corpore *frigida* fuerint membra, *blando tactu* manibus continentes levi cum *fricatione* vaporemus: *ſudantia* citius detergamus: *linguæ aſperitatem* vel ariditatem *ſpongia* infuſa aqua calida humectemus. Nam ſæpe faucium ſiccitates præfocationis imitantur effectum. Tunc *oculos* lemis obſitos, vel lachrymantes *ſpongia* vaporabimus, atque ita (*f*) dimerſos excitamus. *Calidus* etenim *tactus habet quoddam reſumptionis illatæ levamen.*

At ſi *preſſura* perſeveraverit etiam *dimiſſionis*

(*e*) hypochondria.
(*f*) demerſos *id eſt* ſopitos.

tempore, & propterea *cibi dandi difficultas* occurrerit, oportet ægrotantem *in pressura excitari*, donec sentiat: tunc priusquam rursum demergatur, destillandum ex *cochleari* sorbile quiddam faucibus, atque manu mentum quod laxius propendet sublevandum, ut infusa priusquam in somnum revocentur, transvorent. At si forte (*g*) mutatio accessionum atque pressuræ fuerit facta, quod quidem raro contingit, ut in continuationibus, *cibi tempus oriente luce est aptius*. Utendum etiam spongiarum vaporationibus, & fomentis capitis, atque domestica molli, ac pensili gestatione.

In *declinatione* vero certissima, *varius cibus dandus*, & *lavacrum*, sine (*h*) *vino* adhibendum scilicet: in *alia* vero *diatrito* danda *poma*: tunc etiam *vinum*, quorum rationem ex his, quæ in *phreniticorum* curatione sunt ordinata, accipiendam dicimus. Tunc *cerotarium* scarificatis partibus adponemus.

Hæc est *secundum* Methodicos *lethargorum curatio*. Antiquorum vero HIPPOCRATES, & ERASISTRATUS, & HEROPHILUS hujus passionis curationem non posuerunt: sed SERAPION EMPIRICUS in primo libro, quæ ad *sectas* scribit, obscura nimium, atque pauca ordinavit, quorum nihil est dignum enarrare.

(*g*) remissio.
(*h*) vini potu.

CAPUT VII.

Ad DIOCLEM.

DIOCLES libro quo de *passionibus* atque *causis* earum, & *curationibus* scripsit, prohibet demergi *lethargos*, *acutissimis* utens *potionibus*, atque jugiter corpus *defricat*, adhibens etiam *sternutamenta*, quæ Græci *ptarmica* vocaverunt: & neque manifestans, quas vocat acutas potiones, utrum in *qualitate acutas*, ut est *acetum*, an *officio usus*, ut est *celerrima transvoratio*: sed (*a*) utrum elegerit, male dictum est (*b*). *Alterum* enim condensat corpus strictura laborans, (*c*) *alterum* inflat. Item *sternutamenta* corpus vehementi motu concutiunt, & magis *membranas capitis* in tumore constitutas: jugiter excitare, sine dubio asperatio passionis est. Peccatur etiam gravius *sine ullo adjutorio caput relinquendo*, in quo secundum ipsum passionis est causa.

(*a*) utrumlibet.
(*b*) quod acutum est.
(*c*) celerrima transvoratio.

CAPUT VIII.

Ad PRAXAGORAM.

PRAXAGORAS secundo libro de curationibus, in *sorbilibus cibis*, hoc est *ptisanæ* succis, semper, inquit, ægros oportere servari. Cum non

non ſemper hoc conveniat, quando *declinationis tempore*, *oportet varia ciborum reſumptione* vires reparari, non tunc uti ſucco *ptiſanæ*, ſed ipſa potius. Ille enim & corrumpi facilius, & inflare perſpicitur. Deinde *clyſterem* jubet adhiberi: non, inquit, metuendum ſi remanſerit, non redditus. Erat hoc *veræ rationis*, niſi eſſet *virtutis acrioris*. Sed quia eſt acerrimæ, atque mordicantis qualitatis juxta *veterum conſuetudinem*, quomodo ſperandum eſt non gravius nocere, quanto plus fuerit *tumentibus partibus* immoratus? Dat etiam *meracum* bibere, *acetum cum melle*, & *piperis* immodica quantitate, vel pro vino, *abſinthium*, dicens latere ignaros vini dationem: & *fomentum* adhibet pedum.

Sed ex his *omnibus nihil ſperandum eſt utile*, ſed magis *incendia* viſcerum altiorum, & veluti *putredines* tumentium membranarum ob nimietatem fervoris. Non enim cum *acriora collyria* tumentes oculos in *dolores* atque *lachrymas* plurimas cogere videamus, *membranas* quoque *cerebri delicatas* atque faciles ad injuriam ob naturam ſui, tumentes paſſionis cauſa minime ex ſupradictis inuri (*a*) credere poteſt, cum ſingula igneæ virtutis eſſe monſtrentur. Item *meracum*, (*b*) inquit, hoc eſt ultra moderationem temperamenti commixtum *acetum cum melle* dari, & adpellavit *oxymeli*. Nec tamen manifeſtavit (*c*), quid ſit ultra modum temperamenti miſcendum, utrum ne *mel* debeat ſuperare, an *acetum*: non enim adjecit

---

(*a*) credi.
(*b*) *i. e.* jubet, *ut paſſim.*
(*c*) *i. e.* quantum de iis.

aquam quoque miſcendam. Dehinc quam ſimilitudinem poteſt *abſinthium* habere cum *vino*, ut in ejus vicem dandum juſſerit, cum ſit & hoc generaliter *acre*, atque (*d*) *denſabile? Vinum* vero omnibus *ante declinationem* ægritudinis *adverſum* eſt, magis *lethargis* ob nimiam vehementiam paſſionis: *immoderate* vero, ut ipſe voluti meracum, etiam *ſanos* (*e*) *demergit*. Ridendum præterea, quod *caput patiens incuratum* relinquendum putat, & *fomentum pedi bus* adhibendum, per venas eorum avertendæ materiæ *traductus* ut fiat.

(*d*) ſtringens.
(*e*) in ſoporem compellit.

CAPUT IX.

Ad ASCLEPIADEM, & THEMISONEM, & HERACLIDEM TARENTINUM.

ASCLEPIADES primo libro de *acutis* paſſionibus ſcribens, multa inquit adhibenda *lethargis*, quæ *phrenitis* ſunt ordinata. Nititur etiam jugiter demerſos *excitare ſternutamentis*, & odoramentis *caſtorei*, *rutæ* & *aceti*, & *ſpondylio*, *conyza*, & *agno*, herbis: baccis etiam *lauri*, vel communiter, inquit, omne quod tenuare atque movere vehementer *membranas* valeat *cerebri*. Jubet etiam ea adhiberi, quæ *epilepticis*, vel *matrice præfocatis* adhibuit odoranda, hoc eſt *lanam*, vel *capillos* aut *cervi cornu*, vel *galbanum* carbonibus impoſita: & omnia quæ caput gravare valent, vel injucunda ſunt odoranti. Omnium inquit præſtantius, atque operantius eſſe *ſinapi* tritum cum

aceto admixto, atque hinc *caput cataplasmandum*, & dandum manibus, quod excitet ægrotantem (**). *Potum* dat *bis* in die, vel *ter*, & veniente nocte offert tanquam pheniticis *vinum*, vel eo audacius. Etenim, inquit, accedere *ex vino furor in phreniticis* potest, in *lethargis* vero *nunquam*.

Siquidem sint omnes *sensus* (*a*) *adprehensi*, atque mentis vigor oppressus: ex quibus adparet pejus eum (*b*) *a phreniticis lethargum cæca curatione* vexare. Etenim noxium atque *perniciosum est jugiter eos excitare*, sicut diximus. Multo autem *gravius* non communibus remediis hoc facere, sed, ut ille putat, *sternutamentis* immoderate moventibus, atque dissecantibus corpus, & magis *cerebri membranam* in tumore constitutam. Si enim *pedes* quanquam sint habitudine fortes, in *tumore* constituti parvo *deambulationis motu* facile vexantur; atque ob hanc injuriam in augmenta tumoris veniunt, quomodo non *membranæ cerebri* in tumore constitutæ, atque viarum densitate constrictæ, magis posse (*c*) moveri creduntur?

Dehinc perseverare magis in *sternutamenti* usu jubet, ut scilicet ita forte convenire videatur, tanquam in *chronicis passionibus*: cum moderatione interea cessante, *noxius* atque *vexabilis* esse probetur. Extendit etiam peccatum *odoramentis* ex

---

(**) ALMELOVEEN. Recte ex p. 101. H. *dandum sinapi terendum manibus*.

(*a*) quasi vinculis constricti.

(*b*) quam phreniticos.

(*c*) vexati.

castoreo, atque *aceto*, & *ruta*, & *spondylio* atque *agno* herbis, & *lauri baccis*, & *conyza*. Etenim *acetum* acre manifeste probatur, & quod valeat *membranam inurendo* vexare, cum *laxamento*, non *constrictione* indigeat: alia quoque *graveolentia*, & quæ *pressuram* faciant non solum *demersis*, verum etiam *recte valentibus*, improbantur. Hæc peccanter ex *epilepticorum* curatione, atque *præfocationis* matricis transferenda jussit, cum constet etiam in ipsis adhiberi non oportere *sinapi*, etiam si *chronicas passiones quadam* (*d*) *corporis novatione* (*e*) *excludit*, acutas autem vel *celeres provocans*, *in magnitudinem tollit*. Omnis enim *acrimonia incongrua*. Nam & (*f*) *temporaliter* quidem æger omnis tanquam *adustus igne* (*g*) consurget, sed rursum *gravius* opprimetur.

Oportet etiam secundum ejus præcepta *manente capillatura* aliquod *cataplasma* adponere: Et propterea non parvi temporis *vexatione* membranam adficere. Nam *tonsuram noxiam phreniticis* (*h*) probat. His etiam *lethargos* similiter curandos existimat, quo fit, ut etiam in ipsis tonsuram prohibuisse videatur. Non enim in illis *materiæ* post tonsuram *adscensus* vexabiliter *caput* poterit onerare; in *lethargis* vero id minime facere: quæ si tanquam vexabilis, excludenda est, *multo magis sinapi excludendum*. Adducit enim ad semet materiam, sicut *inflatæ*, atque in *ruborem deductæ* ejus adpositione *partes* demonstrant, eamque ad-

---

(*d*) recorporatione: μετασυγκρίσει.
(*e*) sublevat irritans.
(*f*) in aliquod temporis spatium.
(*g*) excitabitur.
(*h*) putat.

ductam tenendo cogit, & *viarum* perficit *densitatem*. Dehinc *odore* penetrando membranas inurit, & tanquam *acre collyrium* oculos, sic (*i*) *mentes* inflammat. Quomodo etiam *fricare manibus sinapi* (*k*) *lethargos* potest, cum *sensibus* ac mente *captus* esse videatur? Atque ita *odoramentorum tempus* tacuit, & solam *materiam* nominavit.

Hoc quidem etiam de dando *potu* fecisse perspicitur, dicens *quoties* (*l*) detur, *temporum* tacita disciplina: *vinum* etiam *lethargis est incongruum*, *nulla declinatione passionis* (*) *firmata*. Simile est enim *ebrios* ac vinolentia madentes *vino oportere uti*, tanquam congrue superdato, in quibus periculum *spasmi* fore nemo sapiens negat. At vero iste *importunius lethargis* (*m*) probandum existimat, sperans *vini furorem sub oppressione passionis posse latere*: vehementer enim curandum putat (*n*) occultare noxia quam prohibere. Miseriores igitur lethargis phrenitici, & experimentorum probationi subjecti. Namque etiam in lethargis demersionis aucta vexatio ex vini efficitur potu. Siquidem *spiratio alta*, ac (*o*) *conductus corporis*, atque *raptus* adveniat, & celerrime *mortis* sequatur effectus.

THEMISON libris acutarum vel *celerum passionum* recte cætera ordinavit, sed jubet *obscuro* in *loco* haberi *lethargos*. Etenim, inquit, *lux* apta non est: siquidem moveat atque turbet corpora,

---

(*i*) membranas.
(*k*) lethargicus.
(*l*) dare oporteat.
(*) *firmatis*.
(*m*) dandum.
(*n*) *subint.* potius.
(*o*) convulsiones.

& non sufficiant *spiramenta* turbationi commotæ congruam exhalationem præbere: quapropter etiam *sani* in luce dormientes gravantur: quorum maxime hi, qui *sub sole*, dormierunt, vexari noscuntur. Non advertens, quod *omnis tenebrosus aer* constringit. *Lethargica* autem *passio* nullo alio magis quam *strictura* cognoscitur, quam necesse est augeri (*p*) ob *solis densitatem*.

Sub *sole* autem dormientes gravari etiam nos adserimus, sed ob *contrarietatem adficientium causarum*. *Lux* enim solis, atque (*q*) *vapor*, relaxat: e contrario, *somnus* adstringit. Dehinc *lethargia* gravis atque perniciosa esse passio perspicitur. Somnus autem *naturale* est *officium*. Item sol gravat caput: *lux* autem quam *lethargicis* adhibemus tectorum sub tegmine, nullo *vapore* lucifici solis (*r*) augetur, neque *splendore* radiorum perfusum corpus graviter adficit ægrotantis.

Jubet etiam parva per intervalla eorum *faucibus* insinuari *liquorem*: quod præter tempus faciens ardorem illum, cujus causa id adhiberi existimat, augere potius quam minuere videtur.

At si *venter strictus* fuerit, *aloes* jubet dari adpensum *triobolon*, hoc est, dimidiam drachmam, cum *aqua* ante cibum, ac id prodesse inquit, prius quam passio augeatur. Siquidem multa quæ ad *caput* ex corpore concurrunt, (*s*) detrahentur. SORANUS vero qui normarum regulis *methodum* restituit, *noxiam* esse inquit *istiusmodi potionem*. Forsitan enim ob nimiam *strictuam* retinetur, &

(*p*) obscuri loci.
(*q*) tepor.
(*r*) *subint.* vis nocendi.
(*s*) *subint.* ex opinione THEMISONIS.

non ſolum nihil egerit, verumetiam ipſa remanet. Credibile autem ad ejus (*t*) *pigmenti* in ſtomacho (*u*) effectura ſenſum, *accurrere materiam*, ac deinde ad *membranas* & *caput recurrere*, quod per vias *ſtomacho vicinum* eſt, & ad rapienda quæ ſunt ſumma facultate aptiſſimum, ob *tumoris fervorem*.

Dehinc gravius augeri peccatum videmus, cum *ante cibum* hoc *medicamen* dari jubet. Adjectus enim cibus neceſſario *corrumpitur*, manente adhuc in corpore *aloe*. Corruptio autem cibi vexat ea quæ ſe circumplexa ſunt. Adtrahens deinde materiam a capite, adtrahit etiam ejus nutrimentum. *Non* enim *ratione quadam tacita*, *veluti animal ſentiens*, *poterit medicamen utilia relinquere*, *& ab his quæ contra naturam ſunt ac detrahenda*, *ſeparare*. Nutrimenta igitur propria deperdere, dubium non eſt, (*x*) cum vi medicamentis detrahuntur.

Poſt *tertiam diem* ſternutamento utitur, cum ipſe prohibuerit lucido in loco ægrotos jacere, ſiquidem moveantur atque turbentur *liquida* & *ſpiritus*: ſed utique multo vehementius *ſternutamenta* commovere poſſe perſpicimus.

Dehinc poſt quatuor, inquit, vel quinque dies, declinante acceſſione, ſi nihil obſtiterit, ultra muros producendus ægrotans, & uſque ad *viginti*, vel *triginta ſtadia* geſtatione movendus. Quo tempore excitare etiam convenit, atque *ſternutamento*, & *aceti* cum *ſinapi* odoramento uti, vel *cataplaſmatibus*, & hoc per totam paſſionem faciendum

(*t*) medicamenti.
(*u*) excitatum.
(*x*) quia.

probat. Sed omnino *lucem* inquit, recusandum, tanquam (*y*) *commobilem corporis*, cum sit gravior in sinapi vel gestationis motu, commotio. Iners etiam atque vana (*z*) intentio, dierum numerus, atque modus stadiorum, circa gestationem adhibendam. Addo etiam immodicum motum esse stadiorum triginta periclitanti (*a*).

Quod etiam considerans *sinapi* probaverit adhibendum, ratione caret. Utrum ne quia *tumorem* (*b*) senserit in (*c*) membrana? sed hæc *acrimonia* necessario densatur: an vero sensuum torpentium movendorum causa? sed jamdudum lucem, ne commoveat, recusavit.

Postea inquit, *radendum* sequenti die, duabus ante accessionem horis, servatis *cataplasmatibus* ex *pane* & (*) *aquæ* & *oleo rosaceo*, & *lini semine*, cum *posca*, vel *polenta* cum *fœnugræco*, & *aqua mulsa*, usum dissimilium cataplasmatum permiscens. Etenim mulsum atque fœnugræcum relaxant atque mitigant tumentia: oleum vero rosaceum, atque acetum, vel alica constringunt. Et propterea in augmento tumores supertendunt. *Intemporaliter* etiam utitur *cataplasmatibus*, quum ante duas horas accessionis venturæ adhiberi jubet, & sit eo tempore *requies* adhibenda.

Dehinc, inquit, si vehementer fuerit oppressus ægrotans, ut neque (*d*) demissionis tempore eum valeamus excitare, si *præcordia* mollia senserimus, atque *vocem* non ita obtusam, *fricationibus* corpus

---

(*y*) facile commoventem corpus.
(*z*) animadversio, præscriptio.
(*a*) quid.
(*b*) suspicatus est.
(*c*) i. e. meninge.
(*) *ex sequentibus legendum videtur*, Alica.
(*d*) remissionis.

calefaciemus. Tunc *frigida* caput fomentamus coacervatim, atque jugiter, & quodam *percussu*, ut altius (*e*) a capite demissa veniant fomenta. Tunc ad *balnea* ægrotantem ducemus, ut densitatem frigoris relaxemus.

Hæc igitur *vexatio* perdendæ salutis magnitudinem vehementer excedit. Quod enim *passio* crescere facit (hoc est torporem sensuum) hoc etiam frigida fomentatio cogit augeri, quo fiet ut si forte (*f*) *temporaliter* quisdam ægrotantium, *raptu quodam terroris frigidæ* excitetur, *vehementius* tamen *accessionis tempore* opprimatur, sicut & ipse eodem in libro nescius confitetur.

Dehinc adfectans (*g*) *stationem sensuum* emovere fomento frigidæ, videndum est, utrum ne in accessione id fieri eligat, aut in dimissione. Sed si in *augmento*, contrarium & adversum sed etiam naturale lavacrum. Sin vero *dimissionis* tempore, feriuntur ea quæ dimissionis ratione (*h*) indulgentia quadam tenues vias (*i*) agnoverant. Præterea post *frigidam allutionem*, *balneum sanos quoque incommodat*, implendo caput. Quid igitur prodest frigidæ ablutio, quæ stationem atque torporem viarum excludere putatur, si necessario magis densitas adquisita ægrotantem opprimere perspicitur? Ita corpuscula, quorum *statione* viarum obtrusionem factam existimat, facile utique transire vel resilire possunt, si capacitas exitum dederit, in quam venisse, vel ex qua exiisse videntur.

(*e*) quam caput est.
(*f*) pro exiguo tempore.
(*g*) torporem.
(*h*) laxamento.
(*i*) reseraverant, penetraverant.

Huic autem rei perficiendæ *frigida* repugnat: densat enim atque conducit vias. Fatetur sane neque se hoc uti *adjutorio*, cum sit aliud melius: quamquam nominare quod (*k*) sit, metuat. Etenim inimicum, & neque ipsius dogmati conveniens esse probatur.

HERACLIDES Tarentinus primo libro de internis passionibus proponens *lethargos* fieri multitudine cruditatis, & crassitudine humoris, adhibet *clysteres*: quibus etiam admiscet aquam, in qua *centaurium* fuerit decoctum, vel *absinthum*. Dat etiam bibere *castoreum*, & *aquam salsam*, & *epithymum*: ac os ægrotantium distendens sensim, hæc infundit guttatim, quæ in os labuntur, decurrentia. *Caput* autem *posca* fovet, in qua fuerit *laurus* decocta, & *ruta*: rasis quoque *capillis* ungit castoreo, vel spondylio & aceto, cum oleo veteri, & ex pollinibus adhibet cataplasma, quod adpellamus ὠμὴν λύσιν, ex *posca*, & *absinthio*, & *nitro*: vel *cantabro* ex aceto. Dehinc sinapi cum aceto, & fico: & iisdem clysteribus post rasuram capitis utitur. Dat etiam & (*l*) *radices* masticandas: ac ex sinapi, vel pipere, *apophlegmatismum* provocat. Utitur etiam (*m*) *balanis*, si clystere ventrem movere non valuerit, & omne corpus *aceto* & *oleo* perungi jubet, *sternutamentis* commovet: & odoramentis castorei, & spondylii, ex aceto acri resolutis.

Sed si ex *humorum acrimonia* fuerit ægritudo confecta, *aquam dulcem* potare ægrum jubet, ac

---

(*k*) melius illud, *subint.*
(*l*) struthium saponariæ speciem.
(*m*) suppositoriis.

deinde *vinum*. Post hæc, *acetum cum melle*, ob virium tutelam adhibendam probat. Tunc (*n*) *viscellum* tenue dat anseris, vel perdicis, aut gallinæ & per (*o*) profectum, *oryzæ succum*, vel *ptisanæ* ex ordeo: tunc panem cum *radicibus* fluxis et mollibus, vel *cappare*, dehinc cum *pisciculis*: sic enim quasi acceptis his *lethargicos* juvandos existimat, cum omnimodo tumentia acrioribus virtutibus accensa graventur; hoc est clysteribus supradictis, atque potionibus, & infusionibus, & perunctionibus, & odoramentis, & fomentis, & apophlegmatismis, & vini dationibus intemporalibus, & cibis acrioribus, & indigestibilibus, & radicibus, & cappare, & viscello innutribili, atque corruptibili.

In quos errores ceciderit nobilis videlicet *Empiricus*, claret, cum liquidarum (*p*) materiarum causas adtendit, & neque *tempora*, neque *quantitatis modum* dare perspexit, sine quibus solus materias nominavit, non adjutoria constituit. Alia quoque multa (*q*) varia opinatione composuit, quæ non imprincipalitér dicenda suscepit, sed expugnanda, quæ ab aliis posita videbantur adjecit. Quæ propter fastidium prolixitatis tacenda melius existimo: quippe cum ex his quæ narravimus, prætermissorum conjici (*r*) varietas possit.

(*n*) jusculum.
(*o*) morbi declinationem.
(*p*) nutrimenti & remediorum.
(*q*) ex aliorum judicio.
(*r*) vanitas.

CAPUT X.

De adprehensione vel oppressis, quos Græci cataleptos adpellant.

VIcina atque similis est *lethargiæ* passio, quam Græci κατάληψιν adpellant, nos *adprehensionem* vel *oppressionem* vocare poterimus, de qua nunc dicemus. *Nomen* igitur ab accidenti sumpsit, sed HIPPOCRATES libro suo (*a*) sententiarum, & DIOCLES libro, prognostico hanc passionem ἀφωνίαν adpellavit. PRAXAGORAS secundo libro peregrinarum passionum (*b*) κωματώδην adpellavit. Item ANTIGENES Cleophantinus libro quem de febribus & tumoribus scripsit, (*c*) ἀναυδίαν vocavit. ASCLEPIADES libro quem de periodicis febribus scripsit, *catalepsin* adpellavit, atque (*d*) plenum corpus scripturæ composuit: quo constat non erraſſe PHILIPPUM libro quo de ipsa passione scripsit, adpellans *catocham*, hoc modo: passionem, inquit, quam adpellamus catocham.

Veteres etiam medici hanc passionem non tacuerunt, sed facile, sicuti etiam nunc plurimi, *lethargiam* esse senserunt. Alii horum successores, pauci quidem ASCLEPIADIS sectatores, hanc passionem a *lethargo* discreverunt; & nomine adjecto *catalepsim* vocaverunt: nihil quidem ei novitatis adscribentes, quod proprium passionis videretur,

(*a*) Aphor lib. 6. & Aphor. 51.
(*b*) forte κατοχὴν HIPPOCR. ἀφωνιὰ κατόχως.
(*c*) vox hæc fere eadem cum ἀφωνία.
(*d*) prolixe de ea scripsit.

ſed omnia communia, quæ etiam de *lethargo* dixerunt. Sed neque alius quiſquam hanc paſſionem cognovit uſque ad Methodicorum tempora. Nam ex (*e*) *noſtris* primus MAGNUS ejus argumenta conſtituit, atque mox AGATHINUS, dehinc ARCHIGENES, qui plurimum paſſionem à cæteris diſcernendo ſeparavit.

Sed neque proprium nomen paſſioni omnes unum poſuerunt. PRAXAGORAS eam (*f*) *cathoden* adpellavit. Neque ſi quiſquam nomen paſſionis dedit primus, etiam ejus ſigna recte agnoviſſe probatur. Neque ASCLEPIADIS ſectatores ſoli *catalepſin* vocaverunt; verum etiam & ipſe ASCLEPIADES aliam dixit eſſe paſſionem, quam *lethargiam*: ſed cum ſolum præciperet, novum non dedit nomen.

Nunc ne ſupradicta (*) ſimplicia atque nuda poſuiſſe videamur, ipſas quoque ſignificationes ſingulorum proſequemur. HIPPOCRATES ait *repente voce captos*, quos ἄφωνος adpellavit, *fieri venarum cauſa*, *quum ſpiritum ſumpſerint* (*g*). Multos denique talia (*h*) proſequentur, *rubor vultus*, atque *oculorum ſtatio* ſine ulla paipebratione: *manuum* neglecta atque diſtenſa abjectio: *dentium* ſtridor: & *membrorum ſaltus*, ac *muſculorum*, quibus buccæ colligantur, *conductio*, quos adpellant *ſiagonitas*; articulorum *frigus*, quum ſpiritus invaſerit venas.

DIOCLES ait, (*i*) *defectivas febres* tutas, atque

(*e*) Methodicis.
(*f*) κωματώδην κατοχήν.
(*) *nomina* ALMEL.
(*g*) ſpiritus interceptus fuerit.
(*h*) proſequuntur, concitantur.
(*i*) intermittentes.

innoxias esse frequentius, quam sunt *continuæ*; quanquam & in his *periclitentur*, *qui in accessionibus adprehensi conticescunt*, vel raptu quodam alterno per membra tentatur, cum supra dictis signis: quod sæpe (inquit) est accidens *pueris*.

Item PRAXAGORAS ait esse quasdam *febres* ex anno duodecimo usque sextumdecimum vel septimumdecimum, quæ quadam privata pernicie mortis habeant effectum: atque id *servis* magis quam in *liberis* evenire: sed *excesso* dierum numero passiones fiant, *catochæ* vehementes, ut etiam voce capiantur ægrotantes. Horum aliquos etiam (*k*) *lethargos* fieri. Denique inquit de *catocha* passione quidam liberari, ac deinde (*l*) sanitatis credulí, plurimum quicquam sumentes, repente in mortem venerunt. Hos denique plurimus modo sequitur *somnus*, atque *febrium instauratio*, & cætera, quæ corpus passione (*m*) habitari demonstrent.

Item ARCHIGENES ait esse difficiles etiam *periodicos typos*, horum difficiliores esse *tertianos*, in quibus quotidianæ accessiones fiant, sed alterna diei interpositione, (*n*) suæ similitudini respondeant: quando in accessione vehemens occurrerit *oppressio*, & adpellavit βῖγος. Difficilis inquit, etiam si quotidianis diebus accessiones sibi similes fiant, & in accessione ægrotantes supra dicta patiantur. Dehinc progrediens paululum idem dixit *periodicos typos* non esse perniciosos, sicut supra dictum est, sed horum esse molestos, quibus

---

(*k*) lethargos.
(*l*) sani sibi visi.
(*m*) haberi, superari.
(*n*) sibi similes sint.

accessionis tempore (*o*) *pressuræ* vehementes adveniunt, & quodam (*p*) *nubilo* corpus demergitur, quod item *rhigos* vocavit, sed hoc, inquit, est accidens magis *tertianis*, aliquando etiam *quotidianis*, qui similibus respondeant accessionibus.

Item ASCLEPIADES ait *quotidianum* perseverantem non sine periculo esse, atque multos ex eo *in alium morbum* induci, hoc est, *corporis* (*q*) *defluxionem*, aut *hydropen* venire, & quicquid potest per corporis debilitatem accedere. Apud *Romam* vero, inquit, frequentare advertimus (*r*) *has febres* cum corporis atque mentis *oppressione*, in similitudine *lethargiæ*, quæ secundo vel tertio in statu accessionis constitutæ statim recalefacto corpore, vel cessante vehementia, in resumptionem atque resurrectionem mediocrem revocant ægrotantes. At si levi (*s*) *figmento* cessaverint, semel adprehenso ægro nullam resurrectionem dabunt, sed in *sudores*, & *respirationem celerem*, *in pulsum febricitantem* desinunt, ac occidunt. Item similia de his scribit, & non semel, sed frequenter, dicens certa ratione mentis adprehensionem (*t*) *typorum* in accessionibus fieri, atque hoc apud *Romam* frequentare, dans etiam causas, quibus hæc singula fiant.

Item CHRYSIPPUS particulariter signa passionis percurrit futuræ, & præsentis, vel in pejus

---

(*o*) profundus somnus.
(*p*) somno turbulento.
(*q*) colliquationem, tabem.
(*r*) tertianas duplices.
(*s*) non revera, sed in speciem tantum.
(*t*) febrium typum servantium.

euntis. Discernit etiam ab *lethargo* & alia plurima, & varia digerit.

Quibus ita se habentibus, erit indignum tanta dissensione conscriptæ passionis, eorum cuiquam adscribere firmitatem: quippe cum cæterarum etiam passionum omnibus cognitarum aliqui plurima accidentia atque signa, aliqui pauca conscripserint, nec quisquam vera significatione hanc finierit.

Hæc sunt, quæ propter eos, qui specialiter istam passionem perniciosam dixerunt, ponenda credidimus (*v*). Quod etiam si lateret in certis *corporis partibus*, periculum *Methodicis* non adferebat, qui *generalibus congruas passionibus* posuerunt *curationes*, etiam quibus *particulariter latentia* curentur. Sciendum igitur, quia hæc passio ex *iisdem causis* antecedentibus fit, quibus aliæ quoque *passiones* efficiuntur, *indigestione*, *vinolentia*, (*x*) *carnali cibo*, & horum similibus rebus, cujus hæc sunt, quæ nostra mediocritas *latinizanda* existimavit, se vidisse plurimos memorat ex intemporali cibo vel plurimo *Persicorum*, ista oppressos passione, sed non inquit (*y*) necessariam *præcedentium* causarum differentiam in curationibus prævidere.

Siquidem *præsentia* sint a *Methodicis* intuenda: sic etiam (*z*) super dicit temporis adtendere frequentiam, quod *autumni* tempore hæc passio magis irruat corporibus, atque in *puerilibus* frequenter ætatibus. Item *sexus* causa mulieribus, & humorosis, & vacuis corporibus, & *edacibus* hominibus, vel post ægritudinem *resumptionis tempore* inor-

(*v*) Qui morbus.
(*x*) σαρκοφαγία.
(*y*) necessarium.
(*z*) insuper: *sic etiam* HALLERUS.

re inordinate atque impatienter agentibus. Præterea *omni febriculæ* hæc paſſio irruere poteſt, ſive coutinuis, ſive dimiſſionibus intercapedinatis: *hemitritaicis* etiam febribus, vel *quotidianis*, & *tertianis*, & *quartanis* quanquam rara (*aa*) atque frequens ſecundum febrium fiat qualitatem. Hinc etiam gravis vel levis pro earum magnitudine fieri intelligitur: *frequentius* tamen quotidianis acceſſionibus, vel tertianis ægrotantes iſta paſſione adficiuntur, & propterea diuturnis acceſſionibus admoniti tertianis ſimilitudinem ſervant ad typum quotidianum: ſed omnium earum febrium *gravius*, quotites cum articulorum *frigido torpore* fuerit (*bb*) qualitas: *levius*, quoties *tremore* ægrotantes adficiuntur. Item magis ac magis levius, quoties ſine his quæ ſupra diximus, *ſolo fervore* initium febres accipiunt.

Sequentur autem eos, qui in paſſionem venire (*) meditantur, alia communia cum *lethargo*, ut *ſegnities* & *tardus corporis motus:* vel nulla *querela* ex his quæ ægrotantes adficiunt, hoc eſt *tacita* ſui laboris *relatio*, & veluti *ſomnus* ultra modum *prolixus* vel gravis; item alloquentibus nobis (*cc*) ejus *tarda reſponſio*. Propria autem ſunt quæ in propriam paſſionem venturi patiuntur, ut eſt *genarum rubor* plurimus, ſine febrium levigatione: *ſalivarum fluor: pulſus erectio* atque plenitudo: *ventris* retentio, aut coacervata atque fluxa effuſio.

(*aa*) aut.
(*bb*) mos febris.
(*) periclitantur: Galli etiam dicunt, *ils penſent.*
(*cc*) ægri.

Eos vero qui ſint in paſſione jam conſtituti, ſequitur *ſchema* jacendi jugiter *ſupinum*: *colli diſtentio*: *genarum rubor*: *febris*: *vocis amputatio*: *ſenſuum torpor*, *atque hebetudo*: *palpebrarum* (*d*) *diſtantia*: & infixa atque immobilis intentio luminum, tanquam quicquam intento obtutu adſpicere cupientium: aut *boum* cervicis repentino (*ee*) motu cadentium. Sequitur etiam *lachymatio* tanquam ſentientium: (*ff*) *ſaltus* latenter commovens muſculos, qui buccas colligant, quos *ſiagonitas* adpellant: movens etiam *labia*, & *ſupercilia*, & *digitos* atque manus: *ſingultus* creber, ac reſonans: *pulſus* celſior, humectus, plenus: vehemens *retentio ventris*; & neque *extenta* recolligunt membra, neque *conducta* diſtendunt.

Ventris *inflatio* aliquibus tanquam ex vento magis ac magis circa *ſtomachi* (*g*) ſenſionem: aliquibus tanquam ex humore, vel cibo, cum ſonitu inteſtinorum. *Dentium* concubitus, hoc eſt confixio vehemens. Aliquando etiam *ſtridor*, & cum ſtatum ſumpſerit acceſſio, horum (*hh*) receſſus adeo, ut ſit quædam interjecta diſtantia. *Oris* hiſcens atque (*ii*) dimiſſa hebetudo; nunc plurimum *ſalivarum* fluor per (*kk*) ejus obliqua foras decurrit, nunc adteſtante ſomitu tranſvoratur (*ll*). Diſcurrit etiam ſi quid fuerit liquoris infuſum, aut

---

(*dd*) apertura.
(*ee*) ictu.
(*ff*) palpitatio.
(*gg*) inſertionem.
(*hh*) diſceſſus.
(*ii*) relaxatio.
(*kk*) oris
(*ll*) hac illac diffluit.

invito ægrotante (*mm*) perſpicitur. Item *labia* ſæpiſſime conducentes, contrahenteſque, & tanquam in mæſtitudine conſtituti, *ſuſpirant*. Atque ita ſi ante *oculos* eorum quibuſdam digitos circum moveat, palpebrant ægrotantes, & ſuo *obtutu* manuum trajectionem conſequuntur: Vel ſi quicquam (*nn*) profecerint, etiam toto obtutu converſo adtendunt: & *inclamati*, reſpicientes lachrymantur, nihil dicentes, ſed volentium reſpondere vultum æmulantes, *odoramentis* admotis *jucundis* delectantur, atque jugi adducto ſpiramento. *Odoribus* autem *tetris* delectationem non accomodant ſed averſa voluntate eorum fugiunt putorem: *dulcia* atque *amara* ſentiunt, ſi eorum linguæ fuerint admota.

Item *perpuncti* ſentiunt, vel laceſſiti horreſcunt: & eorum *vultus* in ruborum (*oo*) floreſcit. Cum *ſudore* ſæpius plurimo, atque ferventi, & in *dimiſſione* ſinceritati propinquantes rurſum (*pp*) admonentur. At ſi ad *pejora* paſſio fuerit devoluta, *fervor* plurimus corporis in ſuperficie, magis ſentitur *ſpiratio:* oculorum *converſio:* menti quoque fixa (*qq*) *conductio:* manuum *contractus*, & muſculorum qui buccas colligant, tanquam *ridentium:* ſudor igneus, & quibuſdam in *thorace* atque *vultu* emergentes *diſcolores*, vel ſtantes in rotunditate (*rr*) *maculæ*, in ſimilitudinem (*ſſ*) *ſcatebrarum* corporis, quas *Græci* ἰδρῶτας vocant: &

(*mm*) accipitur.
(*nn*) melius habeat.
(*oo*) efflorescit.
(*pp*) krygen een vermaning AMM.
(*qq*) ad pectus retractio.
(*rr*) ἐξανθήματα.
(*ſſ*) ſudoris guttularum.

e magnitudine repentinus *virium casus:* gutturis *stridor*, quem *Græci* (*tt*) ῥογχον vocant: *torpor* frigidus: (*uu*) albidus *vultus*, & in ultimo (*xx*) *effatio*, atque vitæ periculum.

Alii vero in *phreniticam*, aut *lethargicam* passionem reciderunt, sicuti & ipsæ passiones in semet per temporum motum venire consueverunt. His igitur, qui in *phreniticam* passionem ex ista deveniunt, *pulsus* sensim minuitur, atque densatur: & *oculorum* fixus obtutus mutatur, atque mobilis efficitur: leviter etiam tanquam in *somno* murmurantes, non recta secum loquuntur: & incerto motu, atque tardo, suas transferunt *manus*, vel digitos complicant.

Qui autem in *lethargicam* passionem deveniunt, inani adficiuntur *pulsu*, atque tardo, & eorum *palpebræ* conducuntur, & in *torpore* sensuum, vel hebetudine perseverant. Qui autem in *declinationem* passionis deveniunt, plurima, vel parva accidente *humiditate* relevantur, quibusdam accedentibus quoque aliis signis. Nam plerisque plurimo per intestina exeunte *vento*, vel mucilento *humore*, aut *stercore*, ventris subsedit *inflatio:* alii vero *humore* plurimo, atque *crasso*, perfecta dentium distantia ex ore detracto, loquuti sunt: & alii sapientes quidem, sed concisis sermonibus loquuntur, alii jugibus.

Proprie igitur passionem supra dictam, hoc est, *catalepticam*, sive *catocham*, ut *Græci* adpellant, designant *febres* acutæ: *vocis* silentium, *sensuum* he-

---

(*tt*) gutturis stridor ac sonitus sibilans, ῥογμὸς: Arabes vocant *oregmona*.

(*uu*) pallidus.

(*xx* suffocatio.

betudo, *pulſus* magnus, ac vehemens, & plenus, & humectus: *oculorum* ſtans atque fixus obtutus. Eſt autem paſſio *celeris*, atque *acuta*, etiam ſi in (*y*) *chronias* venerit febres, & eſt *magna:* atque *ſtrictura & raptu corporis*, quem *Græci* σπασμὸν vocant, *fieri perſpicitur*, niſi per immodicum fluxum diaphoreticus, tanquam in *cardiacis*, fuerit effectus.

Huic igitur ſimilis eſt *lethargia*, *apoplexia*, *ſtomachica paſſio*, in febribus vocis (*z*) ingerens *ſilentium*: Item *animi* defectio per nimiam jejunitatem: & *matricis* præfocatio, & ex *lumbricis* vocis depreſſio, de qua capite de lumbricis ſcribentes memorabimus: de aliis vero leviter, atque coacte nunc diſcretionem ponemus.

Namque *lethargicis* major quidem *pulſus*, ſed tardus, atque inanis invenitur, & *palpebrarum* concluſio.

Catalepticis autem *pulſus* major, ſed plenus, atque celer, & vehemens invenitur, *palpebrarum* (*aaa*) adteſtante diſtantia.

Item *apoplecticis* parvus, celerrimus, durus, ac ſine febribus pulſus invenitur: Siquidem hæc repente accidant.

Item *ſtomachicis*, qui (*bbb*) nimietate etiam *voce* capiuntur, *pulſus* parvus, & imbecillis invenitur cum *ſtomachi* (*ccc*) ſolutione, vel *tumore* manifeſtius adparente, & frigido *torpore*, qui ſequitur poſt oppreſſionem factam, & non antecedenti

---

(*yy*) etiam ſi diuturna febre excitetur.
(*zz*) ingens, ἀφωνία, ἀναυδία.
(*aaa*) adſtante.
(*bbb*) adfectus vehementia.
(*ccc*) exolutione.

febriculæ concurrit, ſicut in *catalepticis*. Item *ſtomachici* intelliguntur ex eo quod jam *frequenter fuerint admoniti* paſſione, & propterea *typorum* tenuerunt tarditatem, quibus acceſſiones longo intervallo reſpondeant.

Item a *jejunitate*, vel abſtinentiæ *defectu*: ſive ex *capitis* cauſa, quam *Græci* σκότωσις vocant, demerſi ægri videntur. Diſcernuntur autem hoc modo, quod primum *oculos* habent diſtentos, *dentium* (*ddd*) concadente junctione: adteſtante *pulſu* parvo, atque imbecillo: ita ut aliquando interire videantur cum *frigido torpore*. Sed hæc & cito (*eee*) circumſcribunt, & is qui patitur, facile relurgit. Nam ſi perſeveraverint, *catalepticam* paſſionem deſignant.

Item non aliter facile ſeſe reſumere perſpiciuntur, hi qui odore *carbonum*, vel *unguentorum*, ſenſuum oppreſſione, vel *torpore* adficiuntur.

Item *matricis* præfocatione oppreſſæ diſcernuntur, primo quod ipſa *matrix* ſe ſuſtollat, atque ſupra umbilicum, vel ventrem exſtans videatur, antecedente *querela* earum partium, ante oppreſſionis tempus.

Aliquando etiam (*fff*) longis atque ſolitis acceſſionibus admoneri ægrotantes inveniuntur, cum pulſu parvo, celeri, imbecillo. His etiam *collum* latius fiet, cum *palpebrarum* concluſione, atque frigido corporis *torpore*. Ex duplici *tertiana* confectis, in *vehementiore* acceſſione, ſimiliter alternis reſpondente diebus, *lethargica* fuiſſe oppreſſi paſſione, & veluti *complexum* earum fuiſſe, *acceſſio-*

(*ddd*) concidente.
(*eee*) circumſcribuntur, id eſt finiunt.
(*fff*) i. e. longo jam antea tempore invadere conſuetis.

nibus demonstrando *lethargicum* simul atque *catalepticum* esse confirmat ægrotantem, non aliter quam sunt ex *typorum complexione* in una atque eadem ægritudine reperti. *Hæc sunt quæ in intelligenda passione, atque a similibus discernenda posuimus.*

CAPUT XI.

Quomodo curandi sunt hac passione laborantes.

Dehinc ob *curationem* adhibendam, oportet ægrotantem (*a*) jacere, sicut *strictura* laborantes sæpe docuimus, adhibita *abstinentia*, pro virium qualitate, atque *fomento* ex *oleo dulci*, & calido *capiti*, & (*b*) *medianis* partibus: Sed (*c*) prætactis *membris*, quæ frigido (*d*) mortis torpore adficiuntur, *calefactionibus* etiam adhibitis, cum *obvolutione*, atque modica *strictione* ex lanis effecta. Item *ori*, vel *faucibus* sensim infundendus humor, vel *mulsum*, illis temporibus quibus alias passiones curantes docuimus. *Clyster* etiam simplex adhibendus, si ventris cessaverit officium.

In *declinatione* vero, vel dimissione, os ægrotantis sensim distendimus, atque hiscere tentabimus. Aliis item dimissionibus *cataplasma* mediis adhibemus partibus, & *clunibus*, ob *abstinentiam urinæ* solvendam: item *cervici*, vel majoribus nervis, quos τένοντας adpellant, & musculis qui buc-

---

(*a*) in loco mediocriter lucido.
(*b*) ventri ac iliis.
(*c*) ante omnia curatis.
(*d*) quasi cadaveroso.

cas colligant, quos ſiagonitas vocant. *Injectione* parva *olei* per clyſterem utimur, & *cucurbitæ* adpoſitione nunc ſimplici, nunc ſcarificatione adjecta, ob *ſingultum* & *tumorem* ventris atque ſtomachi; Tunc *vaporationes* ſpongiarum, atque *cerotaria*.

Relevatis partibus mediis *caput* tondemus, cucurbitamque adponimus: quorum nihil in *catalepticis* invenitur. Præterea ſcarificamus occipitium, & tempora, vel cogentibus cauſis alia quoque capitis loca, ſi qua potuerint cucurbitæ adpoſitionem accipere. Tunc *fomento* utimur olei, atque (*e*) ἔμβασιν toto adhibemus corpori, *acopis* etiam levioribus utentes, quæ mitius nervorum faciant laxamentum. Tunc poſt (*f*) *punctionem cibum* damus declinationis tempore *varium*, atque *bibilem*, ut ovum ſorbile, cerebrum, olus quod non ſit virtutis acrioris, & magis nutribile. Dehinc adhibemus *lavacrum* ſine ullo cibo, qui in ſe habeat *vini* qualitatem.

Tunc proficienti ægroto *pomorum* quicquam damus, ut *ficum* recentem, vel *pyrum* ex melle, tunc *mulſum*, vel *aquam*; atque completo ſanitatis officio, & depulſis omnibus, quæ paſſionis recurſum fore (*g*) ſollicitant, dabimus *vinum* tenue, leve, ſicut *ſalutaribus præceptis* docuimus.

(*e*) inſeſſum, ſolium, labrum.
(*f*) forte unctionem (omnino H.)
(*g*) ſollicitos nos faciat.

CAPUT XII.

Quomodo aliarum sectarum principes istam curaverunt passionem.

MULTI aliarum sectarum principes, quos inter etiam CHRYSIPPUS scribens de *catalepticis* in ultima parte libri, ubi etiam *catocham* nominavit, in his qui mediocriter tardasse in eadem passione inveniuntur, acrioribus utitur *unctionibus*, ob stuporem articulorum, vel tremorem, hoc est *cyprino*, admixto *pipere*, & *nitro*: & *fomento* ex aqua salsa, concoctis *sulfure* & *bitumine*: dehinc perungit unctione, quam adpellavit *tripticem* quam conficiendam dixit ex *calamo* aromatico, (*a*) *schœno*, (*b*) *cachry*, *pyrethro*, *irino* (*c*) *manna*, singulorum partibus oleo admixtis, atque contritis. Sed hæc nos ob acrimoniam reprobamus. Siquidem sit passio celeris atque acuta, etiamsi jamdudum tardantibus atque inveteratis *febribus* (*d*) irruerit: quippe cum *chroniæ febres* ista passione necessario in *superpositionem* veniant, quam *Græce epithesin* vocant, quæ similis fiet necessario acutis passionibus, & ob hoc mitigationem deposcat.

Prohibemus etiam *supradictis rationibus* unctionem ex illo liquore articulis adhibendam, vel ex eo quicquam potandum, aut cibo admiscendum: item

(*a*) alias schænantho.
(*b*) semine roris marini.
(*c*) *subint.* thuris.
(*d*) supervenerit.

ſternutamenta, vel *raſuram* capitis, aut articulorum *ſinapiſmum*, aut ſupponenda podici acria (*e*) *collyria*, ob provocandum ventrem, quæ adpellavit balanos. Item *diagridiim*, atque *caſtoreum*, & omnia gravabilia fomenta, ex quibus tumor magis augetur, & ſoporifera preſſura geminatur.

His etiam compeccavit THEMISON libris quos *periodicos* dixit, adhuc quidem in juventute conſtitutus: nec dum ASCLEPIADES in libris ſuis eos diſcreverat. Ait enim, ſi jam tardantibus atque (*f*) inſidentibus febribus, *adprehenſiones* vel oppreſſiones advenerint ſenſuum, atque in acceſſione *vocis ſilentium* fecerint, cæteris, ut ſupra diximus, ſimiliter adhibitis, ante acceſſionem tribus vel quatuor horis ſervatis, ſi venter non fluit, *diagridii* obolum, cum tribus vel quatuor obolis *caſtorei* dabimus cum aqua: *occipitium* atque tempora capitis inungentes *thapſia*, quam nos ferulaginem dicimus, aqua contrita, ut quendam ſenſum atque (*g*) *levationem* mediocrem per corporis faciat ſuperficiem.

Cibos etiam inquit dandos ſolidiores, niſi *præcordia* fuerint in tumore conſtituta: quod ſi obſtiterit, bibiles dabimus cibos. Nec dum iſta quidem ait ſatis providens, quia etiam in aliis partibus tumores fuerint corporis, ſorbiles interea cibi conveniunt. Siquidem *laxamentum* paſſio depoſcat, quam neceſſario accendit *thapſia*, atque erigit magnificum tumorem. Eſt etiam *caſtoreum* acre, inveteratæ qualitatis cauſa, ſicut omnis ca-

---

(*e*) ſuppoſitoria.
(*f*) pertinacibus.
(*g*) cutis cum rubore intumeſcentiam.

ro (*h*) repoſita. Prohibemus propterea ob *dentium* faciendam *diſtantiam* immitendos violenter *cuneos*. Etenim ex his commotæ partes atque quaſſatæ aſperant tumentia. Quamobrem dentium colliſus vehementior fiet, cum magis ſit utile, ac *neceſſarium in tenſione partibus conſtitutis*, *requiem adhibere*, ut declinationis tempore, vel potius dimiſſionibus, laxatis muſculis, ſine ulla vi, digitis immiſſis dentium facilius diſtantiam faciamus.

Nocent etiam (*i*) *ſucci frigidi*, ut hederæ, fomentati, atque capiti impoſiti. Etenim *tumores* conſtringunt, & paſſionis aſperant motum. Et ſi qua his fuerint genere ſimilia, ſicuti in *lethargicis* contra ſectarum principes ſcribentes docuimus, prohibemus. Eſt autem improprium, atque loco carens (*k*) nimium frigidis uti fomentis, in declinationibus vero calidis, atque ferventibus, juſta imitatione recentium vulnerum. In his enim *priuſquam tumor emerſerit*, *frigida probantur*. Sed omnis ſenſuum preſſura, vel (*l*) adprehenſio in iſta paſſione tumoris eſſe perſpicitur, vel (*m*) hoc præcedente ſuper fieri. Hæc ſunt quæ de *catalepticis* ſua (*n*) potentia SORANUS ordinavit.

(*h*) putris, & diu ſervata.
(*i*) frigide impoſiti.
(*k*) *forte legendum* ſub initium.
(*l*) oppreſſio.
(*m*) *ſubint.* tumore.
(*n*) experientia.

CAPUT XIII.

De pleuritica passione.

PLeuritis à parte corporis quæ magis patitur, nomen sumpsit. *Latus* enim ipsa passione vexatur, quod *Græci* πλεύρον vocaverunt: fit autem ex variis antecedentibus causis, ut cæteræ passiones: magis tamen profunda *perfrictione*, aut *violentia*, aut usu *venereo*, plurimo nimis *potu*, *indigestione* continua, aut *percussu* vehementi, aut *ponderis* magna subvectione, vel *cursu* vehementi: sed neque secundum has differentias differens erit adhibenda curatio. *Una* est enim *atque eadem passio, ex qualibet veniens causa, quæ una atque eadem indigeat curatione.* Hanc definiens primo de adjutoriis libro ARISTOLES sic tradendum credidit. *Pleuritis* (inquit) est liquidæ materiæ coctio, sive (*a*) densatio. Nec tamen disseruit utrum ne *totius*, quod falsissimum: siquidem *phlebotomati* ægrotantes (*b*) liquidum sanguinem reddant: an vero *particulæ*; sed cum hoc tacuit, (*c*) non promisit.

Mitto etiam *oculorum suffusionem* nihil aliud esse, quam liquoris coeuntis densitatem, nec tamen *pleuritim* item APOLLONIUS, qui adpellatus est *Mys* volumino vicesime octavo, quod de secta HEROPHILI conscripsit: *Pleuritis* (inquit) *est communiter passio* (*d*) *temporalis, atque*

(*a*) coagulatio.
(*b*) & non densatum.
(*c*) *legendum puto*, necessarium pretermisit.
(*d*) certo anni tempore infesta.

celeris, *ſecundum laterum membranas* quas ὑπεζωκότας vocant, *atque inter earum* (*e*) *carnem*, aliquando etiam in *pulmonis* partibus, ſæpiſſime ſine (*f*) *tumore* vel ex ſolis (*g*) cauſis effecta. Proprie autem *tumore* ſecundum ſupradictas *membranas*, vel *carnem* lateribus interjectam: aliquando etiam ſecundum *pulmonis* partem, ſed in utraque definitione peccavit. *Primo* enim ſunt prolixæ atque narrabiles. *Secundo* plurima alia prætermiſit, nam neceſſario paſſioni *febris* adeſt (*h*). Correptum autem atque uſurpatum dicimus in *pulmone* paſſionem hanc poſſe conſtitui, ſicut ex conſequentibus docebimus.

Item ASCLEPIADES libro definitionum, *Pleuritim* dicit *eſſe humoris fluorem temporis parvi, atque celerem interiorum lateris partium, cum febre, atque tumore*: ſed erat melius tumorem dicere (*i*) atque humoris fluorem. Etenim quoties ex complexa (*k*) paſſione conficitur, tumorem perſpicimus ſuperare.

Eſt igitur ſecundum SORANUM pleuritis, *dolor vehemens interiorum lateris partium, cum febribus acutis, & tuſſicula, qua variæ qualitatis liquor excluditur*. Frequentat autem hæc paſſio in maſculis magis quam in feminis, atque in ſenibus magis quam juvenibus. Tuſſiculoſa enim atque frigida ſenilis eſt ætas, quo intelligimus profecto hanc paſſionem pueros difficulter incurrere: fre-

---

(*e*) muſculos intercoſtales.
(*f*) externo.
(*g*) aliquando externis ſolis cauſis.
(*h*) falſo tributum & aſſertum.
(*i*) quam.
(*k*) nimirum tumore, & fluore.

quentat etiam *hyberno* magis quam autumni tempore, quod hyemi vicinatur. *Æstate* vero difficulter occurrit.

Est præterea passio *acuta*, atque celeris & vehemens, & aliquando sola ex *strictura* confecta: aliquando admixta *solutione*, ob plurimum (*l*) tussiculæ liquorem. Etenim *ventris defluxio* non implet in pleuriticis signorum concursum, sed magnitudinem passionis docet. Quapropter ex his solum dicimus agnoscendam, quæ supra memoravimus. Alia vero concurrunt plurima, atque differentia, pro passionis magnitudine, ac temporum mutatione, quæ quia prætermittenda non sunt, prosequamur.

(*l*) qui tussiendo rejicitur.

CAPUT XIV.

Quæ consequuntur Pleuriticos.

PROSEQUITUR in passione constitutos *acuta febricula*, cum *tussicula dolor lateris vehemens*, atque usque ad *jugulum*, & (*a*) *palam* ejusdem partis perveniens, quibusdam etiam brachium tangens, & pectus, atque ilium, & est stimulosus, ac pulsuosus, & igneus, jugis, aut intercapedinatus, servato ordine, confuso, & infixus atque perseverans iisdem locis, aut mobilis, & recurrens atque mutabilis, cum *suspirio*. & *difficili spiratione*, quam *Græci* δύσπνοιαν vocant, adtestante *tussicula*, aliquibus arida, frequenter ta-

---

(*a*) scapulam.

men cum liquidis *excrementis*, & primo *ſpumoſis*, dehinc *ſanguinolentis*, (*b*) ita (*c*) *felloſis*, ac inde *ſanioſis*.

Sequitur etiam ægros ſupra (*d*) id latus *jacendi difficultas*, atque cum ſe ſupra contrarium latus verterint, dolor, ut adduci ſentiant (*e*) ſuo pondere evidentia tumentium partium viſcera: ſequentur etiam *vigiliæ*, atque ſiccitas, & *aſperitas linguæ*. Pejorante paſſione augentur omnia ſupradicta.

Accedit etiam *articulorum* frigidus torpor, *genarum* rubor, *oculorum* ſanguineus color, *ventris* fluor ſpumoſus, ac felleus. *Urinæ* quoque frequens, atque paulatim, albida egeſtio, *pulſus* denſior, celer, fortis, & veluti fluctuans, & ſuo percuſſu preſſuram ſignificans: *ſpiratio* etiam circumdolens, atque frequens, & obtuſa, vultus & thoracis roſcida humectatio: *mentis* alienatio, *gutturis* ſtridor, vel ſonitus interius reſonans, aut ſibilans, in ea parte quæ patitur. Acceptorum etiam per *vomitum* recurſio, *jacendi* negata, atque diſplicens omnis poſitio, *ſputa* facile (*f*) ſiccantia & magis ſalivoſis, ea quæ fuerint contra naturam, vel in denſitatem coacta. Etenim *ſpumoſa* ſanguinis in qualitatem (*) tranſeunt: *ſanguinolenta* in livorem. Item fellea, æruginoſa, atque praſina, vel nigra (*g*) efficiunt, ſanioſa, fœculenta, vel fumoſa & odore gravia, & inæqualia, mutato etiam ſæpe ordine ſuæ egeſtionis:

(*b*) poſtea.
(*c*) flavis, biliofis.
(*d*) ſanum.
(*e*) ſua gravitate cadentia.
(*f*) ſicceſcentia.
(*) ſanioſam ſcil.
(*g*) fiunt.

item post felleam, vel saniosam qualitatem in sanguineam transeunt, vel quamlibet coloris varietatem.

Tumoris etiam vehementia (*h*) luctante, alia (*i*) in soliditatem coguntur, alia in *nigredinem* veniunt, ob fervoris usturam. Aliqua ruptis *vasculis* funduntur, quapropter *saniosa* qualitas, post *sanguinea* perseverat, sed *spumosa* rursum fit, cum singulas per partes tumor quatiens liquida spiritu turbato spumosam sufficit qualitatem.

In ultimo autem cogente periculo *celerrima* fit *spiratio*, & *præcordiorum* suspensa adductio, *pulsus* inordinatus, aut deficiens, aut deserens in his, quæ in *peripneumonicam* passionem, aut (*k*) *apostema* transire noscuntur. At si ipsa fuerit levigata, singula mitescunt, & ventris egestio coagulatur; aut fellea carebit qualitate: & per tussiculam exclusa saniosa minime in sanguinolenta redeunt.

Discernendum etiam quæ sint *sputa saniosa*, & quæ sit *sanies*. Nam *saniosa* jam mitescentis tumoris, atque declinantis solutione esse probantur. *Sanies* vero ex apostemate, quod etiam vomicam dicere poterimus, vel certe ex ulcere probatur venire. Discernitur autem (*l*) exercita inventione: hoc est *colore* & *substantiæ*, & *odore*: frequenter enim tetri odoris est sanies. Item saniosa admixtione aquæ facile solvuntur, sanies autem difficile.

Dolorem

(*h*) augescente.
(*i*) quolia alba & rotunda.
(*k*) empyema.
(*l*) exercitata observatione.

Dolorem vero pejorem alii *dexteri* lateris probant ob pulmonis vicinitatem, alii *sinistri*, vicinantis cordis causa forsitan, & quia frequentius sinistra dextris debiliora videntur. Item *pleuritis*, nunc eodem tempore febriculæ concurrit, nunc supervenit, nunc antecedit, nec cessante febricula perseverat.

CAPUT XV.

Quomodo intelligimus pleuriticam passionem in peripneumonicam transeuntem, aut in vomicam venientem.

INTELLIGIMUS eos qui in augmento *pleuriticæ* constituti passionis, proni atque faciles in *peripneumonicam* videntur, quum cæteris omnibus pejorantibus signis, atque in magnitudinem extentis, solus dolor minuitur, atque jacendi positio ex parte facilior ac levior supina ægro fuerit visa, *aucto genarum rubore:* conductu etiam superciliorum e medio vehementer, tamquam in mœstitudine constitutis, *oculorum* adtestante *fervore.* Eos etiam, qui in *vomicam* transeunt intelligimus ex eo, quod *dolor* infixus eodem permaneat loco, accedente *tussicula* arida, atque *tremore* typico, & inordinato, *spiratione* difficili, quam Græci δύσπνοιαν vocant, cum *dolore* leviore, & *pulsu* denso.

CAPUT XVI.

Quis locus in pleuriticis patitur.

QUÆSITUM etiam est, a *veteribus* quis in pleuriticis *locus* patiatur, & quidam *pulmonem* pati dixerunt, ut EURYPHON, EUENOR, PRAXAGORAS, PHILOTIMUS, HEROPHILUS. Item quidem ὑπεζωκότα (*a*) *membranam* quæ latera, & interiora cingit, ut DIOCLES, ERASISTRATUS, ASCLEPIADES, & eorum plurimi sectatores. Horum *primi* aiunt non esse in lateribus tumorem, quum neque *exstantia* ulla earum partium inspectione sentiatur: neque *rubor*: nec motu, nec tactu, *dolor acutus*, vel fortis, tanquam manifestis tumoribus: accedit etiam quod facile supra id *latus* quod patitur, jacere possint ægrotantes, supra aliud *difficultas spirationis* accedat, siquidem nunc sustentatæ pulmonis partes jaceant: nunc veluti pendere sentiantur.

Dehinc etiam *tussicula* signum est ex accedentibus consequens morbum fibrarum pulmonis, esudati corporis liquoris, sive (*b*) cannæ gutturis: singula etiam extussita de pulmone venire manifestum, est qui neque venis, neque arteriis, neque fibris contiguus, vel admixtus esse lateri videatur, ut per ipsum latere accepta excludi posse credamus. Unde igitur *dolores?* numquid ne *pulmonis* sensibiles partes in passione constitutæ cau-

(*a*) pleuram.
(*b*) asperæ arteriæ.

ſa ſunt? an vero ejus tumore latera vicinanti comprimuntur, & propterea *dextrarum* fibrarum tumor dextri lateris dolorem facit, *ſiniſtrarum* ſiniſtri? Sed in *peripneumonicis* totus tumet pulmo, nec ullus tamen ſequitur dolor. Sed huic quidem ſententiæ *contrarii* aiunt propterea neque ruborem, neque exſtantiam, vel dolorem ægrotantes conſequi, quoniam in alto tumor eſſe videatur.

Quod autem ſupra *patiens latus* quoſdam jacere prohibet, alios vero contra miteſcendo relevat, illa cauſa eſt, quod incumbendo objectu ſtraminum preſſa materia refugiat, atque ex partibus quæ patiantur, ad ſanas partes rediens, dolorem non faciat. At vero *partibus non patientibus* expreſſa, atque fugata, ſe patientibus impartiens, & has diſtendens, dolorem faciat.

Tuſſicula vero fit compatientibus ὑπεζωκότι membranæ vicinis, atque contiguis partibus. Et tuſſita itidem *ſputa* per pulmonem feruntur, ſiquidem in ipſum veniant ex vicinis, accepta per vias mente ſenſas, quas λογοθευρήτας adpellant, ſicuti & in (*c*) *vomicis* contingit, quanquam frequenter ad externas partes verticem faciant: vel fracto latere ſanguinolenta excludantur ſputa. Nam profecto (*d*) *inſenſibilis* omnis eſt *pulmo*. Debuit igitur nullus fieri dolor. Sed ſi ex oppreſſione ὑπεζωκότος membranæ ex pulmone vicino tumente, dolor fit, debuit magis ægrotans tunc dolere, quoties jacuerit in (*e*) latus, ſiquidem tunc magis incumbens opprimit pulmo: dehinc

(*c*) abſceſſibus pectoris.
(*d*) ſenſu caret.
(*e*) *ſubint.* patiens.

etiam *peripneumonicos* dolere oportuit. Si enim ex parte tumens pulmo dolorem facit, magis omnis in tumore constitutus facere debet.

Patitur itaque ὑπεζωκὼς *membrana*, & *propterea dolorem vehementem facit*, siquidem sit *nervosa* atque *lateribus* (*f*) *infixa*. Hinc denique, quoties *tumore* densatur (*g*), *ossibus* vicinantibus abstenta (*h*) ire latius prohibetur, & eorum conversione naturali quatitur motu, atque *acuti doloris* accipit causas. Item spiratione *thoracis*, adducti spiritus vicinitate, pulsata, insustentabiles dolores facit. Manifesta namque conjectura est, quod ipsa patiatur. Siquidem tumoris augmento (*i*) collectionem in *pleuriticis* faciat, & (*k*) exspirantibus sæpe ægrotis *nigra* inveniatur. Hos denique (*l*) venenatos quidam putaverunt. Igitur in *pleuritica* passione non simplicem *lateris dolorem*, verum etiam *febre* acuta adtestante, *totum corpus* pati videmus. Etenim febres totius corporis sunt: plus tamen pati ὑπεζωκότα membranam recte dicimus, siquidem sunt in ipsa dolores constituti.

(*f*) firmiter adglutinata.
(*g*) costis.
(*h*) distendi, explicari.
(*i*) abscessum.
(*k*) morientibus.
(*l*) veneno sublatos.

CAPUT XVII.

Quæ sunt similia pleuriticæ passioni. Et quomodo internoscuntur.

SIMILIA *pleuriticæ* passioni dicuntur (*a*), *dolor* lateris (*b*), *collectio* in ejus medio constituta: item *vomica*, quam Græci *empyema* vocant, *suspirium* sive spiratio difficilis, quam iidem *dyspnœam* vocant. Item ad nares catarrhus, quem vocant *coryzan*, & (*c*) *anhelatio*. Siquidem supradictis tussicula, atque spiratio difficilis adjuncta esse videatur, & febricula, & dolores accedentes pleuriticam passionem fingant. Sed discerni atque internosci suis proprietatibus possunt. Nam *dolor lateris* etiam sine febre plerumque est, & longo tempore perseverat: vel quoties celer est, sine varietate sputorum, vel excrementorum esse perspicitur: in pleuriticis vero dolor acutus, cum febribus acutis, & sputis supradictis invenitur.

Item ab *empyicis* hoc est *vomicosis*, sive collectione laborantibus discernitur *pleuritis*, quod febres noxiæ atque acutæ & inordinatæ in pleuriticis inveniantur. *Vomicosis* vero vel collectione laborantibus, antecedente corporis horrore frigido, atque dolore pungenti, eodem tempore, hoc est (*d*) quo in vomicam transeunt ægrotantes,

(*a*) compunctio.
(*b*) abscessus s. vomica.
(*c*) asthma.
(*d*) quo pus fit.

ſputa ſequuntur, quæ antea nulla fuerant, rejecto prius pure coacervato in latere collectionis cauſa: laterum quoque veluti converſionem hic ſentiunt, aliquando etiam ſub ipſis exſtans, vel prominens collectio ſentitur. In *pleuriticis* vero febricula ex initio vehemens, atque ſputa contra naturam, & varia reperiuntur.

Item *ſpiratione difficili*, & *orthopnœa*, *catharro* quem ſupra diximus ad nares fieri, & (*e*) *anhelatione*, celeritate diſcernitur, & febri atque dolore. Siquidem illa tarda ſint, & ſine febribus, aliquando etiam ſine dolore.

(*e*) aſthmate.

CAPUT XVIII.

Quomodo curandi ſunt pleuritici.

JACERE *pleuriticos* convenit mollibus ſtramentis, loco *lucido*, atque *calido*, & mediocriter amplo: *ſchemate* quo ſe melius ac facilius haberi perviderint, adhibita requie, & *cibi abſtinentia* uſque tertium diem ab acceſſionis tempore, *vigilantia* cum articulorum tenaci blandaque *defricatione* manu calida. *Vaporanda* etiam quæ ſunt in dolore conſtituta calidis pannis, & cum acceſſio ſtatum ſumpſerit, lanis limpidis, ex oleo dulci calido expreſſis, contegenda. Adhibenda *fomentatio* lenis capiti, atque inguinibus, & ſitis ſub umbilico locis, ex eodem oleo, ſimiliter calido, & magis quando fuerint *indulgentia* corporis relevati ægrotantes. Sin minus, addenda etiam *cataplaſmata* ex *polline*, atque *lini ſemine*,

& *fœnigræci*, cum aqua & oleo coctis. Tunc *oris collutione* utendum & potu aquæ calidæ, moderate quidem, ne plurima liquoris humectatio ſputorum provocet fluorem. Tunc *ſomno* dimittendus ægrotans.

At ſi *venter* fluxerit, poterit ſomnus ante dimiſſionem permittente (hoc eſt declinante acceſſione) prohibitus accerſiri, ſcilicet laxativis cataplaſmatibus. Sed ſi *dolor* vehemens fuerit, *phlebotomiam* convenit adhibere, *ſi nullus ventris fuerit fluor*, intra tertium diem. Sin vero fuerit adjuncta *ventris ſolutio*, prorſus in ipſa *diatrito* erit *phlebotomia* adhibenda, ſic ut prædiſcere poſſimus, utrum ſit perſeverans, atque ſuperior *ſtrictura* magis quam *ſolutio*. Sæpe enim concurrens ventris ſolutioni ſanguinis detractio, ægrotanti (*a*) noviſſimam intulit defectionem. Quapropter perſpiciendum utrum uſque ad dimiſſionem acceſſionis *fluor ventris* perſeverat, vel ejus meatio mordicationem quandam faciat podici, vel inteſtinis: Suſpecta etenim habenda eſt iſtiuſmodi defluxio. Ita adhibenda *phlebotomia*, ſed ex alio brachio, quod fuerit dolenti lateri *contrarium*, certæ rationis cauſa quam ſæpe memoravimus.

Tunc poſt mediocrem ſanguinis miſſionem, quæ magis conjicienda eſt ex conjunctione quanquam *leviſſimæ ſolutionis*, quieſcere permittimus ægrotantem, atque (*b*) reſumptum laxativa *perunctione* curari, oris etiam adhibita fomentatione, digeſto ſcilicet adjutorii turbore, dabimus *ſorbilem cibum* ex oleo dulci confectum ſive melle, ne liquidorum provocentur ſputa importunitate tem-

---

(*a*) fatalem ultimam.
(*b*) cibo refocillatum.

poris, hoc eſt initio, ſive augmento paſſionis. Dabimus etiam *pultem* calidam, atque madidam, ſine ſale: vel *panem* ex aqua calida. Sed ſi *venter* fluxerit, pultem dabimus craſſiorem, ſed calidam, quoniam in tumentes prius partes incurrat, tunc poſt cibum ſomno dimittimus ægrotantes uſque ad ſolitum acceſſionis tempus, quæ cum fuerit effecta, erunt adhibenda quæ ſupra memorravimus congrua.

Adhibendus etiam *cucurbitæ* leviſſimæ raptus: ſed cum ſtatum cœperit acceſſio, adjecta etiam *ſcarificatione*: cum ad *demiſſionem* declinando pervenerit, tunc *ſpongiarum* adhibenda *vaporatio*, atque *cataplaſmata* laxativa, frequenti mutatione novata. Sed ſi *ventris* fuerit *fluor*, erit quidem his utendum ob tumorem. Siquidem immutabilis *dolor* augeat liquidorum defluxionem, vigiliarum atque corruptæ digeſtionis cauſa ungendi ſunt. Igitur ægrotantes *plantaginis* ſucco reficiuntur: & aliquando ſimplici, aliquando admixta *acacia*, aut *ptiſanæ* ſucco, quo ſit præcoctus *mali Punici* cortex, vel *myrti*, aut agreſtis *celſæ* coma, quam rubum vocant, aut *roſa*, vel *galla*, & his ſimilia. Etenim alia quæque nimium conſtrictivæ virtutis, vel multorum admixtione compoſita, immodica denſatione majores membranarum provocant neceſſario tumores, quos paſſionis nequitia & tardare faciles, adjutoriis medicinalibus cedere difficiles facit, adjuncta ſcilicet ſolutione.

Quare cum prolixiores fieri viderimus dimiſſiones, *clyſtere* utemur ſolutione ceſſante: cataplaſmatibus autem, & cucurbitæ ſcarificatione, cum doloris fuerit dimiſſio.

At ſi ſolutus fuerit aut levigatus dolor, ut ordinem acceſſionum ſervans, magnitudine tamen minutus eſſe videatur, urgente etiam ſolutione,

(c) *unctione* utemur supradicta, prohibita scilicet *vaporatione* atque *cataplasmatibus* submotis, & *scarificatione* supradicta, adponentes *palmulas* quas *patetos* vocant contritas, & cum pannis calidis. *Potum* dabimus *calidum* quidem, sed omnino *paucissimum*, ut neque liquore plurimo *sputorum*, vel *ventris* augeatur defluxio, & tepore quodam tumentia mitigentur. *Omne* etenim *frigus tussiculam commovet.* Deinde dabitur *pulticula*, sed (d) constrictior: vel *panis* ex aqua calida, diligenti infusione atque innovatione calidæ elutus, & expressus, ut suæ densitatis positu (e) elentescat.

At si jugi vexatione tussiculæ, atque conatu sequenti *ruptio venulæ* sanguinem per os emitti coegerit, dabimus *plantaginem* dimissionis tempore, oleris vice mandendam. Etenim in *accessione* omne quod datum fuerit, corrumpi atque acescere necesse est, olera præcipue. Dabimus etiam decoctorum aquam *cydoniorum*. At si in ipsa accessione id facere coacti sumus, insistente periculo dabimus *poscam*. Tunc in dimissione cibum: ut liquori soliditas accedat. *Alicam* ex aqua calida, in qua fuerint præcoctæ *palmulæ* Thebaicæ, vel mala *cydonia*, ut eorum *frigore* sanguinis fluor teneatur, *fervore* vero jusculi tussicula leniatur. Erit præterea, si vires ægrotantis permiserint, *alternis diebus* dandus cibus, donec passio declinet. At si *imbecillitas* coegerit, etiam ante declinationis tempus erit quotidie nutriendus ægrotans.

In *statu* vero mitescentibus atque (f) segnescentibus *sputis*, & nullis irruentibus novis saniosæ qualitatis, sine ventris fluore, convenit

(c) nemque adstringente modice.
(d) spissior.
(e) diluatur, in liquidum jusculum dissolvatur.
(f) parcius exeuntibus.

poſt cataplaſmata atque vaporationem ante cibum dare bibendum *mulſum* diebus, duobus vel tribus. Etenim *tuſſiculam* mitigat, & *ſpirationem* facilem facit, liquidorum tenacitatem laxat, & eas partes, ex quibus ſputa feruntur, depurgat. *Cibum* præterea dabimus *ſorbilem* ex melle: atque *alicam*, vel ſiliginis *panem*, & *amylum*, aut ptiſanam, aut *panem* ex mulſo, aut *ovum* ἁπαλόν.

Declinante paſſione, ſi aliqua fuerit *ſputorum difficultas*, ob debilitatem virium, vel liquidorum craſſitudine, erit *fœnugræci* ſuccus admiſcendus melli, hoc (*g*) genere confectus. Duobus diebus erit fœnugræci ſemen infundendum, ſed frequenti mutatione aqua innovanda, (*h*) præfuſa ſcilicet anteriore. Tunc donec *color* vireſcat, aqua coquenda, & eliquata admixto melle, ægro ſupradicta moderatione bibenda. Poteſt etiam ipſum *fœnugræci* ſemen tritum cum melle lambere: vel *lini ſemen* aſſatum, melli admixtum: vel *vitellum* ovi aſſati *nucleis* recentibus contritum, atque decocto melli admixtum: vel ſimul omnia, admixtis etiam amatris *amygdalis*. Tunc convenit *vario* jam *cibo* ægrotantem reficere, pultibus, *ovis* ἁπαλοῖς, vel cerebro porcino, aut hœdino, aut agnino, coctis cum ſale modico, vel porcino in ptiſana decocto, aut molli gallinaceo pullo, vel columbinaceo.

Tunc poſt tres vel quatuor dies ſolutis febribus adhibendum *lavacrum*: ſed a *vino* temperandum. Illis quoque partibus, quæ dolore tanguntur, *cerotaria* ponenda ex oleo dulci, vel cyprino confecta, admixto fœnugræci polline, vel melioto tuſo,

---

(*h*) modo.
(*g*) effuſa.

atque creto, admixtis etiam adipibus. Utendum quoque medicamine quod *diatessaron* vocant, *cera*, resina, *terebinthina*, *iri* Illyrica, *pice*, æquis ponderibus. Dehinc post diem unum vel duos adhibendum lavacrum, & dandum vinum, adponendum malagma, quod *diachylon* vocant, vel *Dia Mannæ*. Hæc ratio secundum SORANUM curationis: antiquorum vero ERASISTRATUS & HEROPHYLUS de *pleuriticis* nihil dixerunt.

CAPUT XIX.

Ad HIPPOCRATEM.

HIPPOCRATES volumine, quo de *ptisana* scripsit, ad *pleuriticos* curandos hæc ait. *Lateris dolor* sive ex initio effectus, sive supernatus, principio (*a*) *vaporis* erit *curatione* tentandus, in qua meliorem probamus, ex *aqua calida* in (*b*) utriculo, vel vesica excepta, vel ad eundem modum in æneo vasculo, sive testaceo supposito quolibet stramine molli, ne quassatio fiat locorum, scilicet qui in dolore sunt. Probat etiam *spongiam* mollem, magnam, ex ferventi aqua expressam, atque pannis involutam, tunc adponendam. Circumtectus, inquit, enim atque inclusus vapor plurimo tempore perseverat. Admovenda etiam, tanquam *odoramentum*, ori, vel naribus ægrotantis, ut spiramento adductus *vapor* suo ingressu *laxamentum* partibus ministret.

(*a*) θερμάσμασι.
(*b*) ἀσκῷ.

Utendum inquit etiam *hordeo* vel *orobo* in aceto (*c*) miti, macerato, & calefacto, & celeriter (*d*) ſacello incluſo, tunc adpoſito: ſive (*e*) *cantabro* eodem (*f*) genere fervefacto: vel aridæ atque (*g*) *ſiccæ vaporationes* adhibendæ, ut ſunt ex *ſale*, ſive *milio* frixo in ſacellis (*h*) laneis aptiſſime adpoſitæ. Etenim lene atque conducibile eſt milium. Solvit namque naturali quadam mollitudine illos dolores, qui jugulum in ipſis paſſionibus pulſant. Non aliter etiam illos, qui ægras partes pulſaverint, ſolvit.

At ſi dolor *vaporationibus* minime fuerit mitigatus, vel (*i*) abſceſſus, non oportet plurimo tempore in hac perſeverare curatione. Etenim *pulmonem* vaporatio ſiccat, atque purulentum fieri cogit: ſed ſi doloris ſignificatio ad *jugulum* vel ad *brachium* tetenderit cum gravedine, ut etiam pectus vel *mamillam* tangere videatur, oportet in (*k*) brachio venam dividi, ſed in eo, ex quo multa fieri detractio poſſit, donec (*l*) plurimum rubrior ſanguis excludatur, vel (*m*) ex rubro ac limpido, lividus. Utraque inquit enim eveniunt.

Sed ſi (*n*) ſub *pectore* fuerit dolor, & ad jugulum non tetenderit, *emolliendus* eſt *venter*, aut

---

(*c*) κεκρημένῳ.
(*d*) ἐς μαρσίππια.
(*e*) πίτυρα.
(*f*) κατ αὐτὸν τρόπον.
(*g*) πυρίη ξηρὴ.
(*h*) εἰρινέοισι.
(*i*) abſtentus, *id eſt* repreſſus.
(*k*) τὴν ἐν ἀγκῶνι φλέβα, τὴν εἴσω.
(*l*) ἐρυθρότερον πολλῷ.
(*m*) ἀντὶ καθαρῷ καὶ ἐρυθρῷ.
(*n*) ὑπὸ τὰς φρένας.

helleboro, nigro aut, *peplio*: (*o*) nigro, admixto *dauco*, vel *ſeſeli*, aut *cumino*, ſive *aniſo*, vel aliud quodcunque (*p*) tranquillum admiſcendum putat, id eſt portulacam, vel peplii ſuccum præſtare, quæ enim admiſcemus ſibi ſimiligena. Hæc ſunt quæ ſupra diximus. Deducit autem melius ventrem *helleborum* nigrum, quam peplion. *Peplios* autem hellebore nigro ventoſitatem melius tollit, per podicem provocatem. Hæc denique utraque dolorem ſolvunt: mitigant etiam alia (*q*) plurima. Hæc ſunt, inquit, deducentia ſive detrahentia per (*r*) *effuſionem* (*ſ*) ſumma, quæ ipſe ſcivi atque poſui. Etiam in ſorbilibus dantur *deductoria*, quæ non valde ſunt inſuavia, aut amaritudinis cauſa, aut alia qualibet inſuavitate, ut copiæ, vel coloris.

Ptiſanam igitur, quando medicamen æger biberit, ſtatim oportet ſuperbibere, nihil minus a congrua eſt ratione, vel quantum accipere conſueverit: dehinc paulatim inter ventris deductionem nonerit ſorbenda: ſed quando humorem (*t*) declinaverit exitus, tunc minus ſorbeat ægrotans quam conſuevit. Dehinc adjectio perſeverare debet, donec dolor ceſſet, vel nihil contrarium occurat. Hæc mihi (inquit) ratio eſt, & in uſu *ſucci ptiſanæ*. Etenim (dixit) melius eſt ſtatim ſorbendi initium ſumere, non autem jam antecedentibus vaſorum evacuationibus. Ergo eſt ini-

---

(*o*) *ſubint.* helleboro.
(*p*) τῶν εὐωδέων.
(*q*) *ſubint.* cathartica.
(*r*) alvi ſolutionem.
(*ſ*) κράτιστα.
(*t*) ceſſaverit.

tium ſorbendi tertia, vel quarta, vel quinta, vel ſexta, vel ſeptima die, niſi intra id tempus fuerit ægritudo præjudicata. Hæc ſunt, quæ in primis partibus libri ordinavit.

Alias quoque paſſiones curans, in ultima ſcripturæ parte rurſum *peripneumoniam* atque *pleuritim* curans hæc ait: In *peripneumonico*, & *pleuritico* oportet inſpicere, utrumne acuta *febricula*, atque dolores *alterius*, vel *utriuſque* ſint lateris. Et utrum adſcendente ſpiritu dolor admoneat, & *tuſſicula* adſit, vel *ſputa* fuerint abundantia, (*u*) flava, vel livida ac tenuia, vel ſpumoſa, vel florida, aut alia qualibet qualitate a ſupradictis differentia, ſic agi oportet: ut ſi dolor pungens, penetrans ad (*x*) *jugulum*, vel (*y*) *cinctum*, vel brachia tetenderit, *venam* incidamus, in quacunque parte facilior fuerit viſa. *Detractionis* autem *modus* conveniens ſecundum *corporis* habitudinem atque *temporis*, *ætatis*, vel (*z*) *regionis* conſiderationem accipitur. Plurimam enim detractionem (*aa*) oſtendit celer atque acutus dolor, quæ *uſque ad animi defectionem erit facienda.* Tunc *clyſter* adhibendus.

Si *inferior* thorace fuerit dolor, & plurimum ægroti diſtenderit *ventrem*, danda *purgatio*; ſed medio tempore purgationis, hoc eſt, quo ventris officium nondum ceſſat, nihil (inquit) accipiendum; ſed poſt *perfectam effuſionem* mulſum ex aceto exhiberi jubet, quod *oxymeli* vocant. Item

---

(*u*) πυρὰ.
(*x*) κληῖδα.
(*y*) μαζὸν.
(*z*) HIPPOCR. habet χρόα i. e. colorem ſanguinis.
(*aa*) exigit.

quartum diem (*bb*) *medicamine* curans exſpectat, tribus aliis diebus adhibendum clyſterem probat, & ſi paſſio non fuerit relevata, tunc inquit (*cc*) purgatione rurſum utendum. (*dd*) Præcavendum etiam monet, donec dies ſeptem (*ee*) intacti febribus tranſigant ægrotantes. Tunc (inquit,) (*ff*) tuto (*gg*) ſuccum dabimus tenuem, atque parvum.

At ſi facilius agere cœperit *ſputa* adteſtante ſpiratione meliore, & ſine ullo *dolore*, atque, ut ſupra dictum eſt, ceſſante *febricula*, paulatim craſſiore, ac plurimo, & bis in die utendum præcipit ſucco: ſin vero non facile hæc fuerint relevata, (*hh*) leni *potu*, atque ſorbili utemur *cibo*, hoc eſt ſucco parvo, & ſemel in die, tempore ſcilicet quo levius æger habuerit. Atque id intelligi *urinæ* inquit inſpectione. Tunc dandum *ſorbile* quidem, nec prius tamen quam urina, atque ſputa viſa fuerint (*ii*) mitiora. Sed ſi (*kk*) *medicatus* plurima excluſerit, neceſſario (*ll*) *parvum* atque *tenuem* dabimus cibum. Non enim poteſt præ *inanitate*, ſomno, vel plena adfici (*mm*) digeſtione, neque *paſſione* atque *naturæ conflictus* ſuſtinere, quos *Græci* Criſes adpellant.

(*bb*) ſi purgantibus pleuritic. curat.
(*cc*) ὑποκάθαιρε.
(*dd*) φυλακὴν ἔχω, i. e. nil tutum credendum.
(*ee*) illæſi, inoffenſi.
(*ff*) ἢν ἀσφαλὴς φαίνεται ἐών.
(*gg*) ptiſanæ.
(*hh*) pauciore.
(*ii*) matura, πέπονα.
(*kk*) medicamento accepto purgatus.
(*ll*) ἔλασσον καὶ λεπτότερον.
(*mm*) cibi coctione.

Sed cum corporis defluxio tenuem fecerit ægrotantem, retentione ceſſante (qua naturali vigore corporis nutrimenta tardantur) ſuccorum nihil valebit retinere. Intelligimus autem *mitiora ſputa*, quando ſunt puri ſimilia. Item *urina* cum fuerit rubrior (*nn*) ervi ſimilitudine. Nihil etiam (inquit) prohibet & aliis doloribus lateris adhibere *tepores*, atque *cerotaria*, & *unctionem* crurum & (*oo*) clunium (*pp*) pingui atque calido oleo frequentare. *Præcordia* vero ſemine lini cataplaſmare uſque ad papillas.

His SORANUS reſpondens ait: In *calefactionibus* acres eſſe ſales, ac neceſſario tumorem provocare, febremque accendere. *Poſcam* etiam conſtringere, & ſtricturam paſſionis augere. Item *milium* frixum graveolens & nidoroſum, atque capiti grave, maxime acute febricitantium eſſe perſpicimus. *Spongiis* etiam erat melius quamquam in dimiſſione patientes partes vaporare, atque *oleo* calido perfundere. Eſt præterea improprium, ac ſine ratione, tunc uti *phlebotomo*, quoties ad ſuperiora dolor tetenderit: prohibere autem quoties ad inferiora deſcenderit.

Oportet ergo ſub hoc (*qq*) argumento neque difficultate *tumorem* partibus inferioribus impeditos phlebotomare: neque etiam *podagricos*, ſi quidem inferiora tumore videantur, ſed neceſſario, quoties dolor ad ſuperiora tetenderit, phlebotomiam adhibendam videmus. Siquidem ſæpe pejorante ventris fluore, hoc adjutorii genus prohibeatur.

(*nn*) ἐχοῖον ὄροβος.
(*oo*) lumborum.
(*pp*) pinguedine.
(*qq*) ſi vera eſt HIPPOCR. ſententia.

hibeatur. Neque etiam (ut ait) oportet *interiorem venam* dividi. Siquidem & exteriori & media divisa, corpora releventur. Quippe quum e contrario interiorem prohibeant, propter magnitudinem, ne tumor augeatur. Item *sanguinis* (*rr*) mutatio (*ss*) iners est detractionis moderationi, sicuti de adjutoriis scribentes demonstrabimus.

Sese denique idem HIPPOCRATES impugnat in consequentibus, dicens, usque ad *animi defectum* faciendam detractionem, quod magis vehementer est nocens: siquidem sit periculosa defectio, & neque si sit temporaliter, defectionis causa sensu carens ægrotans, dolore relevatus, videbitur (quum resumptus fuerit) rursum dolere, quum magis atque magis ejusdem magnitudinis passiones debilia corpora vehementius adficiant.

Item *purgativa* medicamina (quæ Græci καθαρτικὰ vocant) acrimoniæ causa, *stomachum* tumentem atque ὑπεζωκότα membranam acuunt in tumorem: & in periculosam *ventris* effusionem provocantia, magnificam passionis ingerunt vehementiam. Nutrire etiam cibo post medicamen non oportebat. *Pugnat* enim *purgationi faciundæ illatum cibi nutrimentum.* Quippe quum medicamine corruptum, officii sui careat viribus. Mitto etiam, quod ex initio acescere facile *ptisanæ* succus perspiciatur, confectus quippe ex *ordei* succo, qui sit digestione difficilis. Dehinc ægrotantis corpus non valeat tantum sustinere nutrimentum, quantum sanitatis tempore solitum videbatur. Item *mulsum* ex aceto (quod oxymeli adpellavit) sine (*tt*) discretione accipimus

---

(*rr*) *subint.* quoad colorem.
(*ss*) non congruit.
(*tt*) num meracius, aut aquosius.

Est etiam *immodica* usque ad septimum diem cibi *abstinentia*, quam custodiendam ordinavit. Quippe cum nullus vehementiam passionis sustinere valeat, nisi nutrimento quamvis parvo toleratus: & neque in declinatione passionis aliquid (*uu*) humanius (*xx*) cibo largiatur, sed in iisdem sorbilibus perseverandum existimat succis. At cum fuerint *sputa* segniora, tunc ut existimat, erit primo æger nutriendus, (*yy*) quomodo necessario (*zz*) hæc declinante passione occurrunt (*aaa*) *intolerato*. In cæteris relinquendum temporibus absque nutrimento ægrotantem apertissime indicavit, quum semper (*bbb*) plurimum utilitatis *adjutorium cibi* quam cætera possunt adjutoria, largiatur. (*ccc*) Omne etiam corpus erit *unctione* (*ddd*) coæquandum, & non ejus particula. Quippe cum totum cibo nutriatur, ipsa quoque unctio non (*eee*) exerta, anxietatem ingerit ægrotanti, quæ latentem difficultatem, atque accessione veniente corporis provocat incendium.

(*uu*) magis nutriens.
(*xx*) *subint.* pro.
(*yy*) quia.
(*zz*) sputa.
(*aaa*) nullis cibis recreato.
(*bbb*) plus.
(*ccc*) Totum.
(*ddd*) laxandum, molliendum.
(*eee*) toti corpori non adhibita.

CAPUT XX.

Ad DIOCLEM.

DIOCLES etiam ſimiliter *phlebotomát* ægrotantes, eadem diſcretione adhibita. *Purgat* etiam catharticis medicamentis. Quapropter eadem dignus accuſatione judicatur. *Cibum* vero juvenibus *undecima* die dandum ſtatuit, ſed *æſtatis* tempore elixum magis, & frigidum: *hyemis* vero, aſſum atque ferventem. Eſt enim ſummæ imperitiæ in ordinandis qualitatibus, non *paſſionum* genera ſed tempora *hyemis* vel *æſtatis* adtendere: ſcilicet ut æſtate tumore laborantes, frigido cibo nutriti (*a*) altiora percutiant.

(*a*) altius percutiantur.

CAPUT XXI.

Ad PRAXAGORAM.

PRAXAGORAS ſigna docens futuræ *pleuritidis* præcavendum jubet, dando bibendum *piper* cum *mulſo* ex *aceto*, vel *abrotanum*, aut *abſinthium*: *phlebotomat* etiam non ultra quintum diem, ſed eos qui non (*a*) per *frictionem* incurrerint, neque frigido tempore, & neque *ſenes*, neque ſi *debiles* corpore ante ægritudinem fuiſſe videantur:

(*a*) ex ſuſcepto poſt frictionem frigore pleuritici facti fuerint.

omnia inquit (*b*) corpore curanda, & *fame*, magis utendum: dandum bibere *mulsum* ex aceto, aliquando etiam *hyssopo* admixto: item *succum* ptisanæ sorbilem: si *celerius*, quarta die: si *tardius*, sexta: atque ex illo tempore quotidie: item celerius senibus, atque in sanitate debilibus: dehinc usque ad septimum diem *ventrem* emolliendum jubet, & *unctionibus* utendum pavide persuadet, atque (*c*) *respirationem* inquit intuendam, utrum sit calida, & odoris tetri.

Quibus autem *redundantia* est humorum in venis, exceptis senibus, & in sanitate debilibus, *helleboro* nigro purgandos existimat. Item deponendos secunda vel tertia die ægrotantes in *aquam calidam* jubet, vel utribus eos calefacere, *fovendo* latera donec dolor excludatur. Hic vero etiam non futuram *pleuritim* ex his quæ ordinat, efficit. Omnia enim *constrictiva*, atque acria esse videntur, ut mulsum ex aceto, & piper, & absinthium, quæ necessario tumores accendunt; eo maxime tempore quo etiam aqua sumpta in qualitatem devenit fellis, ob nimium in alto fervorem.

Dehinc *phlebotomia* oportet etiam eos, qui ex *frigore* incurrisse videntur, & eos qui *senilibus* annis videntur adfecti. Non enim necessario debiles esse probantur. Quapropter etiam illos qui in sanitate corporis debilitate videbantur adfecti. Exigit enim magnitudo passionis adjutorium. *Purgativa* vero medicamina, quæ *cathartica* adpellant, (*d*) prærumpunt corpus, atque solicitam eidem passioni *solutionem* provocant. Item *fames* tantum

---

(*b*) tempore.
(*c*) spiritum qui naribus oreque redditur.
(*d*) vires frangunt.

noxia quantum refectio commoda. Non igitur ſexta die cibum judicamus dandum. Longa eſt hæc *jejunitas:* & neque ſemper quarta die: ſæpe etiam tertia die: caput autem implet. Fit autem hoc ex (*e*) *aromatibus:* dehinc calidæ aquæ fomentatio importuna eſt, & frigeſcere facit ægrotantes.

(*e*) quod bibendum datur ex aromatibus.

CAPUT XXII.

Ad ASCLEPIADEM.

ASCLEPIADES ſecundo volumine celerum, vel acutarum paſſionum, *pleuriticos phlebotomat*, (*a*) prædicens primo locis ubi conſiſtunt vel commorantur, utrum *regio* adjutorium phlebotomiæ permittat adhiberi: ſe enim vidiſſe teſtatur apud *Athenas* atque urbem *Romam* phlebotomia vexatos, vel pejus acceptos eſſe *pleuriticos*. In *Pario* vero atque *Helleſponto* reſumptos ac relevatos. Prohibet propterea *ſitim*, atque *clyſterem*, vel ante cibum bibere: & ſi (inquit) oporruerit, deducendi ventris cauſa, adhibendum ſemel vel ſecundo clyſterem. Potum dat magis ac plurimum *mulſum*, aliquando etiam & *rutam*, & *hyſſopum* cum mulſo. Nocere inquit radicem herbæ, quam Græci *phlomon* vocant, quapropter omnino dandam negat, vel certe ſemel dandam, ubi dolor coegerit. *Cibum* inquit dandum (*b*) præcauta *ſecunda* die,

---

(*a*) dicens ante omnia.
(*b*) vitata.

ſiquidem alternis (*c*) admoneantur diebus: & *quarta*, ſiquidem gravior ſit: verum *quinta* & *tertia* (inquit) die dabimus (*d*) ſuccum, & ut ſæpe ſufficiens, probat ſemel quotidie dandum. At ſi plus defecerint, nutriendos etiam poſt acceſſionem quintæ diei permittimus: declinante paſſione *vinum* damus, & *varium* cibum.

Huic SORANUS occurrens ait, ſemper *phlebotomandos* pleuriticos, *ſtrictura* cogente, & apud *Romam* denique nos (inquit) utemur phlebotomo, nulla regionum diſcretione confuſi. Etenim quærendum utrum ASCLEPIADES proprietate *regionis* noceri ſuſpicatur eos qui fuerint in eadem phlebotomati *pleuritici*: an vero proprietate, *paſſionis*? ex quibus ſi *primum* putat, hoc eſt, regionum proprietate, vexari omnes oportuit, non ſolum *pleuriticos*, verum etiam *ſynanchicos*, & qui fuerint phlebotomando curati, & *epilepticos* etiam, quos phlebotomandos imperat aptiſſime. At ſi *ſecundum*, hoc eſt proprietate paſſionis vexari putat, non apud *Romam* ſolum phlebotomatos pleuriticas, ſed in omni regione noceri debuit indicare. *Clyſterem* vero recte prohibet propter *acrimoniam*, ſed non recte ſemel ſecundo adhiberi permittit. Multo enim melius eſt omnino innoxium quicquam, quam leviter nocens. Hinc etiam *phlomi* herbæ radicem, tanquam natura noxiam reprobans, non recte ſemel adhiberi ait ubi dolor coegerit. Dehinc omni ex parte ratione caret, prohibere *clyſteres* tanquam augentes incendia, & *rutam*, vel *hyſſopum* adhiberi, quæ ſunt vehementius ardentia ob ſuæ qualitatis acrimoniam.

(*c*) i. e. febris exacerbetur.
(*d*) ptiſanam.

Item male atque caduca intentione confirmat circa quartum diem *cibum* non dandum generaliter, ac necessario quintum diem (*e*) servandum. His enim qui *jugibus* adficiuntur *febribus*, quoties initium (*f*) ex die sumpserit, quarta die necessario dandus est cibus. Non aliter iis qui majore *hemitritæo* ægrotant, & (*g*) ex nocte sumserint initium. Ipse quoque ASCLEPIADES in phreniticam passionem venturos graviter indicat adfici quarta die: neque tuto ante dimissionem declinante accessione (*h*) dandus, ut existimat, (*i*) cibus est, atque semel datum sufficere, nisi *pulsus* fuerit defectio. Non enim oportuit virium debilitate (*k*) captata cibum dare, quum fuerit nostræ potestatis opportune ante ægrum, quam deficiat, reficere. *Vinum* etiam & *varium* cibum declinante passione dandum recte consulit, sed non suo conveniens judicio. Etenim *phreniticis* atque *lethargis* ante declinationem (*l*) vinum dedit.

(*e*) exspectandum.
(*f*) interdiu.
(*g*) noctu.
(*h*) dandum.
(*i*) cibum esse.
(*k*) longo jejunio effecta.
(*l*) nempe mulsum cum ruta & hyssopo.

CAPUT XXIII.

Ad THEMISONEM.

AT THEMISON alias quidem *pleuriticos* recte curavit, peccavit autem quarta die *cataplasmando*, dehinc *cerotarium* adponendo: ex aliquo virtutis ferventis *ungendo*, atque *ruta*: sunt enim

acria. Dehinc *cerotarii tempus declinante est passione.*

CAPUT XXIV.

Ad HERACLIDEM.

HERACLIDES Tarentinus sanguinis extimens abundantiam, secunda die utitur *clystere*, bis, aut tertio, atque post paululum phlebotomat, conturbans corpora requie indigentia. Etenim quærendum quid magis esse (*a*) confirmet, utrumne *fluorem* ventris, aut *tumorem* & retentionem stercorum. Sed si *fluor* est, hunc duplicat, adhibendo *clysteres:* at si *tumor* est, hunc eorum duplicat acrimonia. Credas etiam eandem injectione suspensam raptu quodam patientibus advenire partibus, & propterea vehementius nocere. Hic quoque etiam nulla est *phlebotomiæ* utilitas. Vexatæ etenim tribus clysteribus vires, sanguinis prohibent detractionem. Dehinc neque omnes, neque secunda necessario phlebotomandi sunt die, sicut supra docuimus. *Cataplasmat* etiam aqua solutis (*b*) *pollinibus* (quod *Græci* ὠμὴν λύσιν adpellant) admixto *fico*, vel *panace*, aut *chamæpity*, quorum (*c*) complexio ob qualitatis acrimoniam noxia judicatur. Probat post usum cataplasmatis, *malagma* quod APOLLOPHANIS adpellamus, sive *polyarchion.* Item

---

(*a*) optet, velit.
(*b*) ordei, tritici fœnigræci.
(*c*) vel temperatura, & facultas vel compositio & commixtio.

ſua inventione (*d*) conſcriptum, quæ omnia ſunt acerrima, & propterea recuſanda. Dat præterea *mulſum* præbibendum, in quo præcocta vel præinfuſa fuerit *ruta*.

At ſi *ſputa* excludi cœperint, dat medicamen bibendum, quod conficit ex *hyſſopo*, *iride*, & *melle*. Si (inquit) non fuerint congrue vel ſufficienter excluſa, addendas *abſinthii* drachmas ſex: ſed ſi nauſea occurrerit, *apium* vorare jubet ægrotantes, vel *olivam* ex aceto mandere. Hæc quoque ſunt acria, & ſtomacho (*e*) inhærentia. Ipſe denique tentatione expertus ex ſupra dictis everſionem fieri ſtomachi, ordinat ob nauſeam retinendam, (*f*) incongrua ſcilicet, que conſtringere poſſint.

Ait enim, ſi non receſſarit *ſputorum* emiſſio, ſequenti die (*g*) injicienda atque excludenda, commoveat *iris*, eadem clyſter per ventrem detrahi provocet, noxia noxiis committens. Siquidem etiam per *clyſterem* injecta, ex eadem ſint materia, ex qua ſunt ea, quæ bibenda ordinavit, quo fit ut commovens tumorem, magis faciat excludenda quæ putat retineri. Dat etiam *viſcellum* gallinaceum cum *mulſo* ex vino, vel ſucco ptiſanæ, quæ ſunt in corruptione facilia, atque inflantia, & ventrem in fluorem moventia.

Dari præterea *vinum* jubet his qui fuerint viribus debiles, niſi caput (*inquit*) doluerint: non advertens quia temporis opportunitate permittente omnibus convenit dare: ut e contrario

---

(*d*) nimirum adhuc aliud.
(*e*) nimis diu immorantia.
(*f*) alii incongrue.
(*g*) i. e. tam medicamenti infuſi, quam ſputorum materiam.

(*h*) resistente, neque imbecillibus. Etenim si (ut existimat) valentes viribus vexat, multo magis imbecillos. Neque recte sentit ita dandum, nisi caput doluerint. *Dolor* etenim si prohibet *capitis*, non aliter etiam *lateribus* (*i*) prohibere perspicitur, prius quam passio declinaverit (*k*) importunum datum. Namque omnia quæ patiuntur exagitat, nec solum caput.

Dicit etiam declinante passione *gobiones* pisces dandos, accedente profectu etiam *carnem*, atque *panem*, non conjiciens, quia omnis acrimonia tussientibus, vel spirationis difficultate laborantibus, vel spuentibus sanguinem inimica est, etiam declinante passione. Simile enim quiddam facit, quale contingere videmus in externis corporis partibus *vulneribus* constitutis, quæ cum sunt adhuc novitate tenera, cicatrices acrioribus (*l*) exustæ facile resolvuntur.

(*h*) *sc.* temporis opportunitate.
(*i*) officere.
(*k*) importune.
(*l*) refricatæ.

CAPUT XXV.

De peripneumonia.

CONSEQUENS atque vicinum est *peripneumoniæ* dicere curationem, que non ut priores voluerunt, à parte corporis quæ patitur nomen sumpsit, sed ab ea quæ plus patitur. Si quidem neque sine febribus esse videatur. Perficiunt hanc passionem causæ, quæ etiam *pleuriticam* faciunt; ut *venenum* sumptum, vel ex *opio* atque *hyoscya-*

mo confecta tuſſientibus medicamina, vel his ſimilibus virtutibus. Item *catarrhus* vel coryza, vel, quod eſt rariſſimum, *ſynanchica* precedens paſſio. Nam frequentius antecedente pleuritica, *peripneumonia* ſequetur, quo fiet ut perniciofior ſit antecedente, ſiquidem vexatis prius viribus, atque adjutoriis ex parte incaſſum (*a*) prærogatis, in ſecundam veniant ægri paſſionem.

Adficiuntur autem *juvenes* magis atque ætatis mediæ: at ſenes, vel pueri, atque mulieres difficile. Hanc igitur definiens paſſionem DEMETRIUS HEROPHILEUS libro duodecimo de paſſionibus, *peripneumonia*, inquit, *eſt tumor in toto pulmonis corpore*, ex parte enim ſi fuerit, *pleuritis* dicitur. Addere autem debuit cum febribus: ſiquidem ſine his *peripneumonia* eſſe non poſſit.

(*a*) prius adhibitis.

CAPUT XXVI.

Quæ eſt peripneumoniæ intelligentia.

DEFINIRE *Methodici* juxta SORANI judicium declinant. ASCLEPIADIS ſectatores ajunt eſſe *peripneumoniam parvi temporis ſolutionem cum tumore, atque febre*, ſolutionem (inquiunt) ob humorum emiſſionem: parvi temporis, ad diſcretionem *phthiſicæ* paſſionis, quæ eſt & ipſa ſolutionis vel effluentis humoris per tuſſiculam excluſio. *Peripneumonia* (inquiunt) ad diſcretionem aliarum paſſionum, parvi (ut ſupra diximus) temporis ſolutionem ingerentium, ut *oculorum* vel *aurium*: adjecerunt etiam cum *tumore* atque *febre*. Si quidem *ſolutio*, hoc eſt, erupti parvi temporis ad pul-

monem, fiat *peripneumonia* ad eas partes ſine febribus.

Huic SORANUS occurrens definitioni ait: Quum ſemper *ſtrictura* in his obtineat, non oportuiſſe paſſionem *rheumatiſmum* vel ſolutionem dici cum tumore, ſed forte *tumorem cum rheumatiſmo*. Etenim parva majoribus poſtponuntur. *Eſt* igitur ſecundum nos *peripneumonia ſtrictura vehemens, atque acuta pulmonis, cum ſputis, & ſiti, & febricula celeri, atque acuta.*

CAPUT XXVII.

Quomodo intelligitur peripneumonia.

INTELLIGITUR ex his quæ concurrunt. Etenim *peripneumonicos* ſequentur *febres* acutæ, *gravedo* thoracis, ſenſus laborantium quadam difficultate laterum, atque medium (*a*) *papularum:* jacendi etiam facultas ſupinæ poſitionis, atque paulo erectior: frequens etiam *ſedendi* delectatio, atque ſupra latus jacendi difficultas, ita ut præfocabilis eſſe ſentiatur: *vultus* rubor, tanquam florens: *oculorum* veluti (*b*) pinguis adſpectus, atque etiam ſplendor, ſcilicet in partibus albidis quæ præter *pupulam* videntur, & magis cum alterna converſatione adſpiciunt ægrotantes. Sequitur eoſdem etiam *anhelitus* celeritas, *tuſſicula* ſanguinolenta, atque fellea, vel (*c*) fumoſa jactans ſputa, & in comparatione *pleuriticorum* fulviora, vel ſpumoſiora:

(*a*) mammarum vel papillarum.
(*b*) languidus, flaccidus.
(*c*) quaſi fuliginoſa.

spiratio difficilis: desiderium frigidi atque plurimi *aeris* haustu rapiendi: frigidi etiam *potus* adpetitio: *os* siccum: *lingua* aspera, ac primo subalbida, dehinc rubra: *pulsus* vehemens & celer: *anxietas*, jactatio, *vigiliæ* juges, ingemens atque turbulentus somnus.

Pejorante passione *thorax* etiam exstantior fiet, accedente spirationis (*d*) persecutione cum quodam *sibilatu* vehementi, atque aspero. Sequitur etiam *colli* ac *vultus inflatio*: & *oculorum* aut immobilitas, aut difficilis motus: *visus* nubilosus, vel nubilus: *mentis* alienatio: *articulorum* frigidus torpor, adtestante livore: *lingua* crassior, atque conductione breviata: *sudor* (*e*) superiorum partium: *pulsus* latens aut formicabilis, quem *Græci* μυρμίζοντα vocant: ultimo, etiam pectoris resonans *stridor*, quem (*f*) rhogmon adpellant.

At si *salutaribus* prosperata signis passio cœperit in melius vergere, omnium supradictorum fiet paulatim (*g*) deductio, aliquibus etiam semel amputata (*h*) decisio.

Quidam denique in *pleuriticam* passionem redeuntes relevati vixerunt, accedente dolore, & plurima spirandi difficultate. Etenim prædicta quæ *peripneumoniam* designant, vel concurrentia complent, sunt hæc, febres acutæ, spirationis celeritas, ac difficultas, tussicula, atque sputorum varia emisso, gravatio sine ullo dolore, aut cum parvo, præfocationis sensus. Est autem passio gene-

---

(*d*) crebritate & vehementia.
(*e*) colli: frontis: temporum.
(*f*) βόγχον AMM.
(*g*) imminutio.
(*h*) cessatio.

raliter acuta, atque *strictura* (*i*) suffecta, adjuncto levi humoris fluore, quem *rheumatismum* vocant. Quo fit ut magis stricturam vocemus, etiam si dolor non fuerit. Quippe cum inesse gravedinem atque (*k*) *pressuram* videamus, & asperitatem, & siccitatem, & accessionem, vel his similia signa.

(*i*) excitata, genita.
(*k*) somnolentiam.

CAPUT XXVIII.

Quis locos in peripneumonicis patitur.

PATI in peripneumonicis DIOCLES venas pulmonis inquit: ERASISTRATUS vero, arterias. PRAXAGORAS eas inquit partes pulmonis pati, quæ sunt spinæ conjunctæ: At enim omnem inquit pulmonem pati HEROPHILUS. Si vero *febrem* (inquit) fuerint passi, *pleuriticam* facit. ASCLEPIADES vero, eas pulmonis partes pati, quæ (*a*) arteriæ sunt adhærentes, quas adpellant *bronchia*. Item APOLLONIUS HEROPHILEUS inquit, ipsius pulmonis venas atque arterias pati.

SORANUS autem cujus verissimas adprehensiones *latino* sermone describere laboramus, *totum* inquit *corpus* passione vexari, sed *pulmonem* vehementius, quod quidem (*b*) æstimatum, & non ad expressam fidem accipiendum judicavit. Est etiam *inutile* curationi, quippe quum nihil obstet locorum neglecta specialis adprehensio, ubi totum corpus labora-

---

(*a*) *sc.* asperæ.
(*b*) opinione potius quam certa & dubitata cognitione.

re ſenſerimus, & neque mutabilis adjutoriorum qualitas, pro patientibus locis, ſed talis perſeveret in genere, donec paſſio ipſa perſeverat. Manifeſtum autem ex ſupradictis, quomodo poſſunt ſimilia quæque *peripneumonicæ* paſſionis internoſci accipimus. *Pleuritici* enim vehementi dolore lateris adficiuntur: *dyſpnœici* vero, quos anheloſos dicere poterimus, ſive ſuſpirioſos, ſine febribus eſſe noſcuntur, & non ſolum celeri atque acuta adficiuntur paſſione, ſed aliquando etiam tarda, atque obtuſa, quam *Græci* chroniam vocant, & cætera.

CAPÙT XXIX.

Quomodo curandi ſunt peripneumonici.

CONVENIT *peripneumonicos* jacere in loco (*a*) medie *lucido* atque *calido*, & ita haberi vel componi, ut reclinato leviter thorace collocentur. Ad hoc enim poſitionis, ſive ſchematis genus, ipſi quoque ægrotantes releventur: dehinc *abſtinentia* adhibenda uſque ad primam diatriton, ſi nulla obſtiterit urgentior cauſa: ſervandi etiam a ſomno *vigiles* acceſſionis tempore, adhibita *articulorum* leni atque *calida* manuum defricatione. *Calefactionibus* etiam lenibus ex pannis utendum, ac tum quum ſtatum ſumpſerit acceſſio, lanarum adpoſitione *thoracem* ſecus, atque medio *ſcapularum*, ſed quæ ſint ex oleo calido ac dulci expreſſæ: declinante acceſſione *os* colluendum, ac deinde *potus* dandus aqua calida.

Tunc *ſomnus* permittendus, adhibita etiam *phle-*

(*a*) modice.

botomia, permittentibus viribus, ſed ſi intra diatriton in (*b*) paſſionem venerint ægrotantes, quod quidem eſt rariſſimum, erit tum *phlebotomia* adhibenda. Si autem non ipſa diatrito, tunc *unctione* utendum: dehinc aqua *ora* fomentamus, & damus ſorbilem cibum, atque tenuem ex alica. Etenim *ptiſana* inflationem facit. Item *oryza* conſtringit. (*c*) *Simyla* quoque in initiis gravis eſt. Conficiendus itaque erit, ut ſupra diximus, *ſorbilis ſuccus* melle, atque anetho & oleo. At ſi æger ſorbilia quæque horruerit, vel recuſaverit, *alicam* dabimus ex aqua calida, aut *ovum* ſorbile. Tunc uſque ad declinationem totius paſſionis *alternis* cibabimus diebus, ſi vires ægrotantis permiſerint. Atque ita *thoracem* cataplaſmamus, & inter ſcapulam, quod *Græci* μετάφρενον adpellant, leni ſcilicet *cataplaſmate*, vel mulſo mediocriter decocto, aut pane ex aqua calida, ex polline, atque fœnugræco, & aqua mulſa, vel fici aridi decoctione. Ejus quanquam ſit (*d*) reflata ſuccoſitas, tamen manet veluti melloſa dolcedo.

Tunc *cucurbita* eiſdem locis cum ſcarificatione adhibenda, ſed *dimiſſionis* tempore. *Leves* autem, quas κόφας adpellamus, etiam in *acceſſione* adhibere poſſumus, & frequentes, atque multis partibus. Tunc *vaporatio* ſpongiarum & cataplaſmatum apta, etſi ſeſe ad tempus gravari ſentient ægrotantes, eorum adpoſitionem ægre tolerantes, tamen ex his plurimum deinde commodi conſequentur. Erunt adhibenda, anguſto licet tempore detracta, atque

(*b*) peripneumoniam eſſe conſtet.
(*c*) σεμίδαλις, medulla farinæ triticeæ.
(*d*) efflata, *id eſt* ſiccando abſumpta.

atque rurſum adpoſita, quo etiam tuſſiculæ mitigetur inquietudo, & ea quæ egeruntur facilius (*e*) lapſa ſine ullo tormento reddantur.

Erit decoctum *mulſum* dandum, vel *fœnugræci* decoctio cum melle: facit etiam (*f*) *nucleorum* contritio mulſo admixta, vel *amylum* aqua contritum. Dabimus etiam *eclegmata* ſorbilia ex *lini* ſemine, ac *fœnugræci*, *nucleis*, & *melle* decocto, & ovorum vitellis confecta.

Quum ſtatum ſumpſerit paſſio, *geſtatione* levi utemur. Quum vero declinaverit, *vario* nutrimus cibo, ſervantes ac præcaventes multo tempore ex (*g*) *liquamine* & *oleo* cibos, ſiquidem tuſſiculam commovent: tunc *lavacrum* adhibemus, & ultimo *vinum* damus. Pectori autem atque a tergo circulatim *cerotaria* adponimus, ex oleo dulci confecta, vel cyprino, admixta iridis radice decocta, vel *meliloto*, & ſecundum aliquos *ſampſucho*. Sed eſt hoc (*h*) acerrimum, quanquam ſit calidæ virtutis. Poſt cerotarium vero adponimus quod adpellatur *diachylon*, vel *Mnaſei*. Aliqui etiam adhibuerunt illud quod *Nileus* adpellatur. Item APOLLOPHANIS, quæ non ſunt ita vehementia & propterea permittenda. Horum ſane compoſitiones de medicamentibus ſcribentes, interrogationum docuimus libris. Ex antiquis autem ERASISTRATUS, & HEROPHILUS de iſta paſſione nihil dixerunt.

(*) HIPPOCRATES vero libro regulari, (quem

(*e*) tanquam fructus maturus.
(*f*) τῶν κοκκάλων, ſ. nucum pinearum.
(*g*) garo.
(*h*) aptiſſimum.
(*) Hæc nec in tribus libris HIPPOCRATIS de diæta exſtant, nec in libro POLYBII de diæta ſalubri. Quare librum eum HIPPOCRATIS Diæteticum periiſſe arbitror.

diæteticum vocavit) *peripneumonicæ* inquit remedium aptandum ex (*i*) *cocco* atque *galbano*, atque *Attico melle*, vel *abrotano*, ex *aceto* mulso atque *pipere admixto*, & *helleboro* nigro. Summum (inquit) est etiam *panacem* in mulso ex aceto confecto decoquere, & liquatum dare bibendum. Sed hæc sonmia SORANUS esse judicavit, & propterea reprobanda, adjiciens, quod *mulsum* ex aceto factum constringat, & sit inconveniens tumori.

Item DIOCLES ait, peripneumonicos qui annum sextum natu excesserint, post injectionem (*k*) *succo* cibari oportere; sed *fortiores* atque validos viribus, levius, *imbecilliores* vero, plenius. Omnes tamen communiter parum refici jubet, qui ultra annum quartumdecimum fuerint hac passione ægrotantes, adhibens acerrimos *clysteres*, & propterea noxios: dehinc sine ratione ad dierum numerum cibum dandum putat. Item *libro* quem de passionibus atque causis & curationibus scripsit *phlebotomandos* dicit, & adhibendum tempus tacuit. Dehinc *ventrem* commovendum existimat, exagitans atque (*l*) exsuccans interiora. Addit etiam *unguentum* naribus admovendum, succum *scamoniæ*, quam diagridium adpellamus, & *helleborum* & opium (*m*) succo consparsum, obsidens odoramentis perniciosissimis caput. Usque ad quintum diem *mulsum* ex aceto solum dandum præcepit, excitans profecto *tumorem*, (*n*) constrictivæ

(*i*) croco.
(*k*) ptisanæ chylo.
(*l*) exsiccans.
(*m*) ptisanæ.
(*n*) quæ in aceto est.

virtutis causa, & immoderata *abstinentia* vires absumens. Utitur etiam cum his potionibus vexativis, *absinthio* infuso & *thymo* decoctis: & eisdem dans quoque transvorandum atque sorbendum *passum* cum aceto & confecto. Quæ omnia (ut ratio demonstrat) sunt acria, & propterea tumori contraria.

Item PRAXAGORAS eandem pleuriticorum atque peripneumonicorum tradidit curationem.

ASCLEPIADES vero, secundo libro celerum, vel acutarum passionum, *phlebotomiam* recusavit. Siquidem nullo *dolore* ægrotantes adficiantur, & propterea si fuerit adhibita ex initio, sanguis tenuis atque subtilis exire videatur. Sed errans plurimum (ut SORANUS ait) neque enim moderatio detractionis sanguinis, mutatione demonstratur: *neque* etiam *solos dolentes phlebotomandos accipimus*, sicut idem SORANUS libris quos de adjutoriis conscripsit, edocuit. Dehinc ipse ASCLEPIADES ait, quosdam *peripneumonicos* dolere: oportuit igitur etiam nunc, sicut in *pleuriticis*, non ex (o) causa reprobare *phlebotomiam*, sed a (p) commorantibus inquirere, utrum in omnibus *peripneumonicis* obesse (q) regionaliter videatur. Prohibet etiam *cataplasmata*, & *vaporationes*, quorum est utilissimus usus, ob relaxandam stricturam. Item reprobat *clysteres*, atque omnia (r) *medicamina*, & quidem recte, sed non suis conveniens placitis. In *phrenuticis* enim clysteres adhibuit. Item libris, quos de vini datione scripsit, in febri-

(o) *subint.* doloris.
(p) signis præsentibus, & stabilitus.
(q) rationaliter.
(r) purgantia.

citantibus, jugibus inquit, utendum clysteribus. Dat etiam cum aqua mulsa *hyssopum*, vel *tragoriganum*, & sunt hæc acria, atque medicosa, quæ *Græci* φαρμακώδη adpellant. Mitescente inquit interea passione, *cataplasmata* adhibenda, atque *cibis*, (*s*) asperioribus diebus, nutriendos ægrotantes existimat, quum nos opporteat sæpe levioribus diebus cibos dare: tunc puriores siquidem dimissiones occurrunt.

Item TITUS hujus sectator bis in die adhibendam inquit *defricationem*, quam quidem veluti quassantem in acutis passionibus reprobamus.

THEMISON vero alia quædam de passione recte composuit. Sed peccat jubendo eos secunda vel tertia die *gestari*, quoniam nondum sumpserit passio *statum*. Jubet etiam cum *scarificatione* adhiberi *cucurbitam* declinante accessione, quum sit adjutorii genus (*) *destrictivum*, & propterea proprium dimissionis: dat etiam bibere *aquam frigidam*, vel frigidæ vicinam, & non est (*t*) consequens sorbilibus cibis, atque curationi laxativæ potus constrictivus. Si, inquit, incensa atque longa fuerit accessio, ut ardore ac siccitate difficultatem faciat excludendi ea, quæ tussicula emitti coguntur, dabimus *pityidas* vel *nucleos*, aut *cucumeris* semen bibendum cum aqua, aut secundum modum collecta, & sunt hæc maxime (*u*) contraria. *Augmenti* etenim atque accessionis tempore, etiam aqua quæ nullius est qualitatis, noxia perspicitur. Utitur etiam *amygdalis amaris*, quæ

(*s*) quibus nimirum febris exacerbatur.
(*) deobstruens.
(*t*) conveniens.
(*u*) noxia ratione temporis.

ob amaritudinem tumores vehementius accendunt.

Item HERACLIDES *Tarentinus* eandem judicavit curationem adhibendam, quæ pleuriticis est ordinata.

Multi *Empirici* potionibus atque sorbilibus cibis usi sunt. Item *pityida*, & *ruta*, & *menta*, & *tragorigano*, & *abrotano*, & *pulegio*, atque *origano*: alii hæc singula, alii secum mixta adhibentes: sic denique *amylum* cum aqua præcoctum melli admiscent, ac tunc amygdalas amaras tritas addunt, & hæc sorbilia movent ramo hyssopi: dant etiam *irin*, & *gentianam* decoctam cum *pulegio*, & *anagallide* herba, & *eryngio*, & *marrubio*, & his similibua, quæ omnia ratione (*x*) circumscripta reprobanda sunt.

(*x*) ponderata.

CAPUT XXX.

De Cardiacis.

CArdicam passionem ajunt quidam duplici significatione nuncupari, *communi* & *propria*. Sed *communem* dicunt eam, quæ substantiam in *stomacho* atque ore ventris habuerit, ubi etiam mordicatio sequitur supradictarum partium, ut HIPPOCRATES primo & secundo libro *epidemion* commemorat, & ERASISTRATUS libris, quos de ventre scripsit. *Propriam* autem dicunt eam, quæ cum *sudore* fuerit, atque *pulsu* mbeci o, de qua nunc dicere suscepimus.

Nomen autem hæc sumpsit passio, ut quidam volunt, a parte corporis quæ patitur. Siquidem putant principaliter *cordis* esse ægritudinem. *Ali*

vero aliter ſentiunt. Siquidem vulgus quadam conſuetudine, (*a*) propria atque dominantia magnis nominibus adpellat, ut magnum mare, ſacrum mare, atque (*b*) *luem deificam* epilepticam paſſionem. Eſt igitur in nobis proprium, atque vigens, & dominium vitæ continens, cor: quapropter tanquam magna paſſio ab ea parte, quæ vim ſummæ poteſtatis habet, nomen ſumpſit.

(*a*) κύρια.
(*b*) nempe morbum Herculeum.

CAPUT XXXI.

Quid eſt cardiaca paſſio, vel quomodo ejus agnitio tradenda.

DEFINITIONES enim SORANUS dicere declinavit. Cognitio igitur ſive intelligentia ejus paſſionis ab ARTEMIDORO Sidenſi ERASISTRATI ſectatore tradita eſt hoc modo: *Cardiaca* (inquit) *paſſio eſt tumor ſecundum cor.* Item ASCLEPIADIS ſectatores ajunt tumorem ſecundum cor, *corpuſculorum* coacervatione ſive *obtruſione* effectum. SORANUS vero (cujus hæc ſunt) tumoris inquit ſignum nullum ſubeſſe, quod in *cardiacis* videatur. Item *cor* pati, non valde plurimis probabile videtur: ſed ait *cardiacam* paſſionem eſſe *ſolutionem celerem* atque acutam, qua disjici (*a*) corpora per omnes viarum particulas adprehendit.

(*a*) corpora illa prima & atoma, quæ noſtri corporis elementa ſtatuebat.

Fit autem magis *æstatis* tempore, atque in *viris* potius quam in mulieribus, & calidis atque juvenibus corporibus, vel habitudine plenis & exercitis. Sed precedentes causæ quibus hæc passio sufficitur, multæ atque variæ sunt: magis autem jugis indigestio, vel *vinolentia*, aut post cibum *lavacra*, aut post cœnam *vomitus*, aut *mœstitudo* vel timor, in quæ consentiens corpus solvitur in sudores. Emergit autem frequentius quinta vel sexta die, in *febribus* continuis, vel ardentibus, atque (*b*) flammatis.

(*b*) inflammatis.

CAPUT XXXII.

Quomodo intelligimus eos, qui in cardiacam venire possunt, aut etiam in ipsa constitutos.

INTELLIGIMUS eos qui in *cardiacam* passionem declives atque proni videntur, & eos qui sunt jam in eadem constituti, ex his *signis* quæ concurrunt. Sequitur enim in passionem pronos, *febris* acuta, atque celerrima & flammosa: *pulsus* celer, densus, humilis, & quasi humectus toto accessionis tempore, aliquando etiam usque ad dimissionem, ut etiamsi fervoris relevatio fuerit quadam (*a*) circumscriptione collecta, non tamem simili profectu pulsus quoque erigi videatur, quippe cum magis sui comparatione demersior esse noscatur: aliquando etiam ut *inordinatus* occurrit,

(*a*) caloris febrilis diminutione.

ſed non ita ut deficiens intelligatur, ſed celeritate coactus, implicatis ſaltibus, ordinibus careat & modo.

Sequitur etiam *faſtidium*, *ſitis* immodica, *ſomnus* parvus, & facilis in ſuſcitatione, hallucinatio, hebetudo, (*b*) jactatio. Item genuum gelidus ſtupor, atque cubitorum & tibiarum, creſcente acceſſione, vel uſque ad ejus finem. Hæc concurrunt aliquando non prævexatis viribus, ſed ratione paſſionis effecta: aliquando vero prævexatis ob nimiam *ſanguinis detractionem*, vel *ventris* coacervatam effuſionem, vel cujuſque materiæ corporis immoderatam *eliquationem*, ut pejorantibus febribus diſſolutio fit.

Addunt vel adtendunt quidam aeris *æſtus*, vel utrum (*c*) *temporaliter* abundent ſolutiones, aut æger ſit *lactea* corporis habitudine, vel ſi tenerum atque albidum, & diffuſum ac pingue habuerit corpus, & (*d*) aquatum colorem, ſine etiam hac paſſione tentari conſuetus. Sed hæc (ut SORANUS ait) ſunt incerta & inſtabilia.

At vero ſi jam fuerit *præſens*, ſequitur ægros articulorum frigidus *torpor*, aliquando etiam omnium crurum, vel manuum, aut totius corporis: *pulſus* denſus, celer, parvus, imbecillis, inanis, & quaſi fluens: increſcente paſſione etiam demerſus, obſcurus, tremulus, & formicabilis, & inordinatus ac (*e*) deſerens: adteſtante hallucinatione, *animi deſponſione*, cum *vigiliis* jugibus,

---

(*b*) ἄση inquieta corporis jactatio.
(*c*) populariter & communiter.
(*d*) pallidum.
(*e*) deficiens.

& quibuſdam repentino atque coacervato per totum corpus *ſudore*. Quibuſdam vero primum cervice tenus, & vultum, parvus, tenuis, aquatus, dehinc per totum, ut ſupra diximus, corpus plurimus, ac tunc craſſus, & (*f*) tractuoſus, atque viſcoſus, vel male redolens, tanquam lotura carnis: *reſpiratio* parva atque anhela, & inſuſtentabilis, & per (*g*) profectum rara *loquutio*, ac tremula.

Ora pallida, *oculi* concavi, *thoracis* gravedo debilitatis cauſa, *animi defectus* imminentibus acceſſionibus. Aliquando etiam translatis *lingua* humecta: aliquibus vero ob *complexionem* tumoris parvi in viſceribus conſtituti, arida atque ſicca, adteſtante deſiderio frigidi potus. Deficiente (*h*) ergo; *viſus* obſcuritas, *articulorum* livor, *unguium* uncatio, quam γρύποσιν vocant, & plurimis *mentis* integer ſenſus, quibuſdam vero falſitas intellectus, *cordis* ſaltus crebrior. Dehinc vehementius deficiente, corporis *ſuperficies* rugoſa, & ea quœ pereuntibus frequenter occurunt, ut *ſolutio ventris*.

Perniciosum etiam ſignum eſt involuntaria *lachrymatio*, hoc eſt ſine ulla ratione: vel oculorum ex aliqua parte ſanioſa atque purulenta (*i*) ſimilitudo, vel ex oculi circulo, quæ nigro colore adparet, nata *albida macula*, quæ in unguis ſimilitudinem, vel naſcentis, vel creſcentis lunæ cornibus reſpondens paulatim ſumit augmentum; hanc *Græci* ὄνυχα vocaverunt: item coacervata in-

---

(*f*) glutinoſus.
(*g*) morbi progreſſum.
(*h*) ægro.
(*i*) lippitudo.

tegri atque non masticati cibi *transvoratio*, cum quodam sonitu, perniciem denuntiat, & magis si immutata atque indigesta post sumptionem fuerint immorata plurimo tempore, & tanquam in utriculo, moto ventre, sonitum reddant, quem *Graeci* βόμβον vocaverunt. Est enim signum *mortuorum* corporum, ut tanquam inanimato atque insensibili tegmine cibus depositus videatur.

Pejus etiam omnibus cibi sumptionibus privari, (*k*) fastidio, atque omnino accipienda recusare, vel etiam *vinum* non adpetere, aut post acceptum cibum *gravari* potius, vel febrire: Tunc rursum in (*l*) *solutionem* recurrere: ut leviter resumptum, celeriter (*m*) restringi, vel accepta rejicere, & *ventrem* fluere, aut *labiorum* pati tremorem: mordere etiam in accipiendo cibo vel potu, cochlearia, vel poculorum labra. Etenim deficientis spiritus est signum tanquam (*n*) lassantis, nec valentis oris partes adtollere, sed morsibus involuntariis succumbere.

Est etiam gravius, (*o*) *diaphoreticum* delirare. Siquidem neque *vini* datione, neque *varietate* ciborum ad sublevandas constantius vires uti possumus. Item gravius est, post dationem ac resumptionem rursum in febres recurrere. Tunc cum quadam *mœstitudine* accidit latenter (*p*) disjici per sudorem, atque marcere. Etenim solubile ac (*q*) dimissum fit ægrotantibus corpusculi robur: atque

---

(*k*) ob fastidium.
(*l*) virium exsolutionem: animi defectum ac deliquium.
(*m*) i. e. ut supra dixit, *solutione tentari*.
(*n*) lassati.
(*o*) cardiacum.
(*p*) *subint.* vires.
(*q*) enervatum.

visus obtusus: lingua aspera, & arida: præcordiorum etiam raptus ad superiora: & post cibum gravatio. Sic etiam ægrotantes multis diebus marcore quodam demersi moriuntur. Neque enim parvo atque *simplici cibo* sufficienter refici possunt: neque *multo* ac *solido* (r) valentius tolerata occurrere digestione.

In *quibusdam* etiam sine sudore vires solvuntur, & naturalis vigor, *disjectione occulta*, quam *Græci* ἄδηλον διαφόρησιν vocant, extinguitur: quum omnis corporis habitudo laxior, atque dimissa, & (s) friabilis fuerit facta.

At si in *salutaria signa* venire cœperint ægrotantes, *pulsus* resurgit, corporis *frigus* frangitur, & *difficultas respirationis* minuitur, accedente animi quadam *securitate*, & post sumptionem cibi, virium profectu: *somnus* quoque altior, tanquam post laborem dormientium.

(r) i. e. ob læsam nimis digestionem.
(s) fluxibilis.

CAPUT XXXIII.

Utrumne febricitent cardiaci.

QUÆRITUR etiam utrum *cardiaci* febricitent: & plurimi quidem ante ASCLEPIADEM febricitare *cardiacos* negaverunt. Alii vero contraria dixerunt, ut APOLLOPHANES ERASISTRATI sectator. Item ASCLEPIADES plurimos inquit non febricitare. Libris enim quos ad ERASISTRATUM fecit, & adpellavit contradictorios, dico, inquit,

cardiacos non febricitare: sed secundo libro (*a*) ὀξέων non, inquit, febricitare frequenter *cardiacos*. Item THEMISON & THESSALUS, DEMETRIUS Aponieus quosdam febricitare ajunt: quosdam negaverunt. DEMETRIUS vero (*) Aponieus incipiente inquit passione atque crescente omnes febricitare. Post vero cum vehementescere cœperit febris, passio recedere fertur.

Igitur qui nullum ajunt febricitare *cardiacum*, dicunt quod *febricitantibus* plus necessario *fervor* adsit: & *gravedo* cum dificili motu corporis: & *ariditas*: vel tanquam (*b*) *vulnerationis* singularum viarum sensus, & rubor, atque extentio *præcordiodiorum*; nihil inquiunt horum in *cardiacis* incurrere: quapropter neque febricitare probant. Dehinc secundum ASCLEPIADEM *febricula* est, *fervor* plurimus in omnibus, sive plurimus *corporis partibus*, commutatione *pulsus* in vehementem, ob *obtrusionem* facta. At in *cardiacis* neque major est pulsus, sed magis humilis, neque vehemens, sed magis imbecillus: neque fervor plurimus, sed magis in altis parvus corporis partibus, in mediis omnino levissimus. Utendum igitur *clysteribus* in his, qui sine febribus fuerint, jubet constantissime.

Quidam vero (*c*) *conclusioni viarum* causam febrium adscribentes, ajunt disjectionem sive *diaphoresin* diraratis partibus fieri totius corporis: in his vero (*d*) *febrem* densatis, quarum ex *adfricatione* quadam nasci ac proficisci fervorem.

(*a*) ὀξέον νόσον.

(*) Apameus AMM.

(*b*) doloris lancinantis.

(*c*) obstructioni pororum.

(*d*) i. e. febrem vero iis densatis, nempe ex adfricatione corporum nasci.

APOLLOPHANES omnes inquit *cardiacos* febricitare ſecundum ERASISTRATUM, ſiquidem cardiaca paſſio ex *cordis tumore* fieri videatur, febricula autem magni tumoris fit ex cauſa. Item aliqui *novelli ſcriptores* ajunt non ſignum eſſe periculoſæ paſſionis, ſine *febribus* ægrotare, atque malignas paſſiones accedentibus fieri febribus; tunc *diaphoreſin* venire, vel ceſſantibus *ſudoribus* perſeverare *febrium* reliquias.

Sed hæc utraque SORANUS excludit, nam primo dicto reſpondens ait aliud eſſe *ſignum*, aliud *accidens*. Nam *ſignum*, neque recedit, & ſemper ſignificato conjunctum eſt. *Accidens* autem, quod *Græci* ſymptoma vocant, nunc advenit, nunc recedit; ex (*e*) quibus eſſe intelligimus ſingula, quæ febricitantium accidentia dixerunt, ut corporis difficilem motum, gravedinem, tenſionem præcordiorum. Etenim aliqui *febricitantes* nulla ex ipſis patiuntur, ſi febricula ſecundum *ſolutionem* fuerit facta: ſed *fervor mordicans*, atque febrem deſignans, tanquam ex alto, quibuſdam *cardiacis* ineſt.

ASCLEPIADES ait ſecundo libro acutarum vel *celerum paſſionum* non ſemper, ſed frequenter ex *febricula* fieri hanc paſſionem. At ſi *cardiacos* ſine febribus eſſe voluerit, quoniam non adſunt ſecundum ipſum febrium ſigna, reſpondere poterimus, eum peccare non videndo vera febrium ſigna. Nam manifeſte atque prompte in initiis acceſſionis articuli frigidi reperiuntur, & pulſus humilis & imbecillus. Quod ſecundo poterit objici, quo putant *denſitatem viarum* eſſe febrium cauſam.

(*e*) quorum numero.

Item aliqui ajunt (*f*) complexa ægritudine ægrotare *cardiacos*, qui cum febribus fuerint. Atque ita cum aliæ fuerint viæ *laxatæ*, aliæ *densatæ*, raritate *diaphoresis* fiat, densitate & corporum adfricatione *febricula*.

Nos vero SORANI sequentes judicium, & *solutione* absoluta fieri febres (*g*) accipimus, hoc est raritate viarum, ut & ipsis est consequens, sicut libris de febribus docuit.

Item ERASISTRATI sectatoribus respondebimus, *falsum* esse omnes febres ex *tumore* fieri: siquidem quædam fiant *solutione*. At si hoc parum etiam probaverint, *cardiacam* tamen nullo ex tumore fieri non negabunt. Nam quum sint ægrotantes integro judicio mentis, & nullo sensu doloris, vel cæteris *strikturæ* signis adficiantur, cordis inesse tumorem erit falsissimum, atque omnes *cardiacos* febricitare. Sed neque periculosas passiones signo febrium designari recte dixerunt. Est enim *cholerica* gravis atque periculosa passio, quæ nunquam cum febribus fit. Antecedere autem febres *cardiacam* passionem verum est, sed aliquando sudoribus solvi, sicut etiam *tumor* solvitur in humorem purulentum conversus, collectione (*h*) suffecta. *Falsum* etiam esse perspicimus, cessantibus sudoribus manere febriculæ reliquias. Plerique enim sine febribus reperiuntur.

Dicimus igitur, (sicut omnes nostri *methodici*) *quosdam* sine febribus esse *cardiacos*, ut eos, qui sanguinis emissione solvuntur: *quosdam* vero febricitare. Namque inanibus & celatis locis, vel

---

(*f*) complicata.
(*g*) statuimus.
(*h*) inducta, & consecuta.

ſupra quæ jacuerint antea: adpoſita manu, tarda perſeveratione occcurit plurimus, & mordicans adſcendens *fervor* ex alto, febrium referens ſignum, adteſtante *anhelatione* ferventi, cum delectatione *frigidi* potus. Quibuſdam etiam *lingua* ſicca atque aſpera invenitur.

CAPUT XXXIV.

Quis in cardiacis locus principaliter patitur.

PRÆPATI in cardiacis ERASISTRATUS, & ASCLEPIADES *cor* dixerunt: Alii (*a*) *membranam* quæ cor circumtegit: alii *diaphragma*, hoc eſt membranam, quæ a (*b*) viſceribus diſcernit inteſtina. Alii *pulmonem*, (*c*) atque *jecur*. Sed hi qui *cor* pati dixerunt, ajunt primo ipſius ſe nominis teſtimonio juvari: ſiquidem ideo *cardiaca* dicatur paſſio, quod ex cordis veniat cauſa. Nam καρδίαν *Græci* cor vocaverunt. *Secundo*, quod eidem cordi in ipſa paſſione conſtitutis, ſaltus ineſſe videatur, atque in ſiniſtra parte, ſecundum papillam, thoracis gravedo. *Tertio* ipſius paſſionis magnitudo, quæ fieri non poſſet, niſi aliqua corporis parte principali atque (*d*) propria (*e*) patiente. Eſt autem *cor* præſtans atque (*f*) ſalutaris corpori particula, præminiſtrans omnibus ſanguinem membris, atque ſpiritum.

(*a*) Pericardion
(*b*) corde & pulmonibus.
(*c*) alii.
(*d*) præcipua.
(*e*) proprie. i. e. per ἰδιοπάθειαν.
(*f*) ad vitam ſumme neceſſaria.

Sed his quidem occurrentes *primæ* propositioni responderunt, quod passio a magnitudine nomen sumpserit. Secundæ (*g*) quomodo similis *arteriarum* cordis est motus: quod gravedo etiam quibusdam *cardiacis* occurrit in toto thorace & non solum in sinistra parte, quæ si fuerit, poterit (*h*) *hypezocote* membrana patiente fuisse (*i*) suffecta, vel cujusquam alterius vicinantis corpus, si locis adscribendæ sunt causæ. *Tertio* dictæ respondentes ajunt, multas fieri periculosas passiones, quæ non patientis cordis habeant causas. Non enim ubi magna fuerit passio, necessario (*k*) propriam corporis partem pati accipimus, quippe cum omnes partes propriæ sint corpori.

Alii vero propterea magis falsum dicunt esse, *cor* ista passione vexari. Siquidem eorum testimonio qui hoc adseverant, si (*l*) propria pars atque principalis saluti, & propterea mox (*) pati cœperit, morte præveniat sensum: *vulnerata* denique cum fuerit, statim atque sine ulla mora, mors vulneris antecedit (*m*) effectum. At si multo parvissime fuerit læsa, nihilominus mortem necessario perficit, & non similiter cæteris partibus, aut emoritur, aut durescit, aut in paralysim solvitur. Sed his rursum primi respondentes ajunt, quod vulneratum *cor* celerius interficiat, quoniam multis ante præcisis

(*g*) quod.
(*h*) pleura.
(*i*) invecta, genita.
(*k*) præcipuam & principem.
(*l*) magni momenti.
(*) statim ac.
(*m*) dolorem inflammationem.

præcisis partibus vulnus (*n*) possit accipere, & (*o*) pomposa, atque coacervata sanguinis fiat effusio, nec tamen *diaphoresis*. Quod autem neque emoritur, neque edurescit, neque paralysi adficitur, argumentum est quidem non omnino cor pati negans, sed leviter pati. Si enim cæteris similiter partibus corporis natura confectum, iisdem necessario similes sustinet causas.

Nos vero cum ex SORANI judicio totum videmus corpus in solutionem laxari, totum necessario pati accipimus: *neque valde nobis de præpatienti loco certandum est*, ne in occulta quæstione versemur. Non enim aut (*p*) *significatio*, aut *curatio* secundum hæc differenter accipitur, quum oporteat omnibus corporis partibus adjutoria (*q*) prolatari.

Aliqui denique alios ex *corde*, alios ex *membrana* quæ cor circumtegit, ajunt *diaphoresi* vexari: & propterea eos qui ex membrana cordis (*r*) solvuntur, adjuncto dolore laborare, qui punctionibus crebris ægrum adficiat: eos vero qui ex *corde*, (*s*) gravedinem solam sustinere. Sed his quoque respondemus, quod signa sibi fingunt, vera existimantes, cum oporteat, sicuti supra diximus, patientibus quibusque vicinis atque contiguis (*t*) cordi aliquando *stimulantem* dolorem, aliquando *gravedinem* consequi.

(*n*) forte accipiat.
(*o*) copiosa.
(*p*) morbi cognoscendi & ab aliis discernendi ratio.
(*q*) præcogitari.
(*r*) animo linquuntur.
(*s*) opprimentis gravitatis sensum.
(*t*) *subint.* partibus.

CAPUT XXXV.

Quomodo discernimus cardiacos ab his qui stomacho patiente sudaverint.

QUONIAM plerisque (a) *stomachicis* adest in accessione sudor, atque articulorum frigus, cum parvo pulsu, & animi defectu & pallore, quæ omnia sunt communia cum *cardiacis*, horum quoque discretionem faciendam existimo. ASCLEPIADES igitur hæc discernens, ait *cardiacos*, atque eos qui *stomachi* (b) *supinitate* (c) decoquuntur, ita internosci, quod in cardiacis omnis *pulsus* sit parvissimus, atque imbecillus, *cordis* vero *saltus* major & vehemens, cum gravedine thoracis, atque spiratione præfocabili: in his vero *qui stomacho* patiente deficiunt, atque coacervant, validus in cæteris arteriis pulsus, cordis vero saltus imbecillus invenitur (d) exceptis cæteris accidentibus, quæ symptomata *Græci* vocaverunt.

Nos vero magnitudinem (e) *pulsus* in corde fieri *cardiacis* non invenimus. Quippe quum *cor* ipsum pati sit existimabile potius quam verum: gravantur tamen quidam thorace, atque præfocabili spiramento respirant: quidam *stomacho* patiente defectione virium sola fuerunt vexati: atque rursum, *cardiaci* quidam nulla spiramenti præfo-

(a) cardialgia laborantibus.
(b) imbecillitate, languore, exsolutione.
(c) dejiciuntur.
(d) omissis.
(e) saltus.

ſatione jactantur. Dicendum itaque *ſtomacho* nunc tumente, nunc (*f*) deficiente in tumore *fervorem* atque *dolorem* fieri ſub his partibus pectoris; quæ coſtis teguntur, vel ex adverſo inter (*g*) palas: aliquando etiam poſt cibum *preſſuram*. At vero ſi defectione fuerit *ſtomachus* adfectus, *fluor* ſequitur ſalivarum, & humecta *aquoſitas*, & *nauſea*, vel vomitus liquidorum, atque cibi, *frigus* etiam articulorum. Initio enim nunc *fervore*, nunc *frigore* adficiunturr

In *cardiacis* vero neque *dolor*, neque poſt cibum *gravedo*, neque *vomitus* eſſe perſpicitur, & *torpor* frigidus idem atque æqualis perſeverat. Dehinc *ſudor* aliquando *cardiacis* craſſus excluditur, & male redolens, ut ſaniem vel cruorem ſimulet: his vero qui *ſtomacho* patiuntur, tenuis omnino atque aquatus ſudor invenitur. Item animi defectio ex ſtomacho incipiente magis *acceſſione* fit, cardiacis vero, *recedente*. At ſi vero utræque paſſiones eodem *concurrerint* tempore, (*h*) obſcuratur diſcretionis fides, ſed nihil curatio impeditur. Si quidem iiſdem adjutoriis curentur.

Item in *cholericis*, & *tetanicis*, vel tumentibus *matrice*, aut præfocatis, plurimus ſequitur *ſudor*, adjuncto frigido *toopore*, qui ita diſcernitur, quum ſingularem paſſionum fuerit conſideratio perſpecta. In (*i*) *alia* enim vomitum: in (*k*) *alia* colla inclinari: In (*l*) *alia* matricem tumere: in (*m*) *alia*

(*f*) flaccido & languido.
(*g*) ſcapulas.
(*h*) difficilior eſt.
(*i*) cholerica.
(*k*) tetano.
(*l*) tumore uteri.
(*m*) præfocatione.

tumorem vehementem esse necesse est. At si nihil antecedentibus causis, quæ passionem facere valent, fuerit repertum, sit tamen præsens atque provocata corporis (*n*) *solutio*, quæ *cardiacam* designet, certo inesse passionem dicimus: nec satis *necessarium*, unde illa solutio venerit, invenire. *Non* enim *curatio pro differentia antecedentium causarum mutanda accipitur.*

Vocatur autem secundum aliquos quædam passio etiam *Cardimona*, quam *Græci* καρδιωγμὸν vocaverunt. Hanc necessario sequitur *dolor* (*o*) oris ventris, quem plurimi idiotæ (*p*) *cordis* dolorem vocaverunt. Generaliter autem *cardiaca passio est solutionis, atque una acutarum & vehementium passionum*, sed aliquando huic miscentur quædam *strictura* accidentia, ut tensio, vel *tumor* partium (*q*) mediarum, quæ non speciali concursu, ac significatione sint *cardiacis* adscribenda.

(*n*) virium exsolutio.
(*o*) stomachi
(*p*) τὴν καρδιαλγίαν.
(*q*) hypochondriorum, ilium, ventris.

CAPUT XXXVI.

Quomodo discernimus cardiacos ab his, qui prospero sudore liberantur, quem Græci Criticum vocant.

QUONIAM etiam *prosperi sudores*, quos Græci *Criticos* vocant, habent quiddam circa (*a*) visum similitudinis cum *cardiacis* ob ipsam (*b*) re-

---

(*a*) quod videatur & adpareat simile esse.
(*b*) copiam.

dundantiam, quippe in (c) *solutionem* vehementium vel continuarum febrium salutari motu venientes, utile duximus eorem ponere discretionem. Multi etenim imperiti *Medici* prosperos atque mediocres sudores constringentes, morbosa ægrotantibus reddiderunt corpora, (d) *diaphoreticos* adjuvantes, causa mortis exstiterunt. Quare eorum differentiam necessario ducimus ordinandam, quæ varia ratione colligitur. Nam primo ex *præteritis*, dehinc ex *genere* passionum, & *magnitudine*, & *temporibus*, & sudoris ipsius *ordine*, & *quantitate*, & *qualitate* significatio firmatur.

Ex *præteritis* inquam quum consideramus, utrum signa futuri sudoribus diaphoretici, an salutaris præcesserint.

Ex *genere* passionum, quum qualitatem adtendimus passionis. Si enim solutio inest, sudor etiam inutilis ac diaphoreticus esse monstratur.

Sin vero strictura inest, adtendenda magnitudo. *Parva* enim *passio diaphoresin pati non potest.* Si autem magna fuerit, adtendendum *tempus.*

In *statu* (*) enim totius passionis, atque (e) temporalis accessionis, vel limpida dimissione, *criticus* magis sudor ostenditur, in initio autem vel augmento, *perniciosus.*

Ex *ordine* inquam sudoris ipsius. Æqualis enim bonus, inæqualis malus sudor judicatur.

Ex *quantitate* signum accipimus, moderationem considerantes. Modicus enim sudor bonus, immodicus malus accipitur. Sed denique sudantes,

---

(c) crisin.
(d) pro cardiacis curantes.
(*) autem.
(e) particularis paroxysmi.

excessa (*f*) moderatione, diaphoresin incurrerunt.

Ex *qualitate* autem significationem accipimus, quum tactus judicium adhibemus. *Salutaris* enim sudor calidus, tenuis, & non male redolens probatur: *perniciosus* autem sudor frigidus, & (*g*) succidus, & male redolens, atque loturæ carnis similis, invenitur. Dehinc ex præsentibus atque *concurrentibus* signis confirmanda significatio. Nam *diaphoreticis*, magis parvus atque creber, & imbecillus, & inanis *pulsus* invenitur, *thorax* etiam gravatus cum respiratione frequenti. & jactatione, ac desponsione animi, *vocis* etiam tenuitate, adtestante *pallore*. Recte autem sudantibus, pulsus erectior, respiratio facilior, ac levior efficitur, & in (*h*) somno prona delectatio, & omnium adversorum minutio, cum animi atque corporis relevatione.

(*f*) cum sudor nimius & immodicus.
(*g*) glutinosus, viscidus, & ut supra dixit, tractuosus.
(*h*) in somnum propensio jucunda est.

CAPUT XXXVII.

Quomodo curandi sunt cardiaci.

DEHINC *cardiacorum* ordinemus curationem, (deridendi etenim sunt qui hoc passionis genus incurabile judicantes reliquerunt). Multos enim omnes *Medici* juxta sententiam SORANI liberari (*) videmus. Livore namque commoti, argumentatione turpi, ajunt quidam, eos liberari, non qui sint, sed videantur esse cardiaci. Quapropter SORANI nos judicium servantes, jacere faci-

(*) viderunt?

mus *locis* refrigerantibus, atque umbrosis, & obscuris, ut sunt plerumque *hypogæa*, vel speluncosa, atque ad aquiloniam partem (*a*) conclusa, vel certe solis (*b*) tactu difficilia. Semper enim atque magis in ista passione *solem* præcavendum accipimus, & propterea vehementiæ ejus ingressum, si qua ex parte venerit, prohibemus. Convenit etiam neque majora *loca* esse, (*c*) solubilis enim plurimus aer esse perspicitur: sed neque plus satis brevia: sunt enim præfocabilia, & quæ facile fervorem ex ingressu hominum concipiant, quos naturalis spiratio aerem accipere, atqce reddere anhelitus raptu necessario cogit.

Denique si non fuerit naturaliter *frigidus* locus, hoc adfectabimus, (*d*) specularia detrahentes, nisi sol obstiterit, aut aeris (*e*) inæqualitas. Adjungitur frigori inducto purgatior *aer* ingrediens locum, qui sua *novitate* ac miti accessu reficiat ægrotantem. *Flabellis* etiam latenter aerem frigerandum dicimus, *aqua frigida* adspergentes solum, & ea quæ influxione, quam *Græci* ἀπόῤῥοιαν vocant, spirationem facilem ægrotantibus facere valent, circum projici jubemus, quæ tamen sine ullo *percussu* atque odore gravi valeant *aerem* facere *constrictivum*, ut *vitis* folia, aut *myrti*, aut *quercus*, aut *pini* atque *lentisci*, aut *mali Punici*, vel *rosæ*, atque his similium. Sic enim (*f*) corporis fluor aeris occurrentis adflatu densatus, prohibetur. De-

---

(*a*) constructa.
(*b*) tactui difficilia, i. e. minime accessa aut pervia.
(*c*) resolvens, relaxans.
(*d*) quæ fenestris objiciuntur, vulgo *les chassis*.
(*e*) incommoditas.
(*f*) spirituum dissipatio, διαφόρησις.

cocto denique supradictarum materiarum liquore, frigido tamen, terram perfundimus. *Cooperimenta* præterea atque stramenta tenera & tritiora probamus. Etenim (*g*) nova *vaporatione* sui, corpora resolvunt.

Generaliter autem ipsa lecti *concubatio* neque dura, siquidem vigilias faciat, neque plus satis mollis, ut est floccorum, vel levium plumarum, erit procuranda. Etenim recessu facili corpori (*h*) cedens utrinque orarum (*i*) circumlevat tegmina, quæ amplexu quodam corpus cingendo, vaporatione sui resolvant. Denique etiam quum fuerit (*k*) mollior, erit coarctanda (*l*) straminum velamento, ne facili (ut supra diximus) recessu, concava faciat stramina.

Lecti etiam latitudo atque spatium tantum probatur, quantum sufficiat ægro, alterna *conversatione* alterius loci frigus accipere, ac desertum vapore carere, quo mutua vice semper veluti nova repetendo, frigida inveniat, ut sine ulla lectorum mutatione, in eodem lecto mutatio fieri videatur. In altera enim parte ægro constituto, alteram sternere poterimus: quippe quum sæpe translati ægrotantes ex lecto ad lectum senserint defectionem, atque *parvo motu asperata passionis fuerit magnitudo.*

Tunc (*m*) *amplexu* atque ligatione (*n*) paulo te-

(*g*) utpote densa & nimis mollla.
(*h*) lectus justo mollior.
(*i*) adtollit.
(*k*) lecti concubatio.
(*l*) superinjecto stragulo.
(*m*) linteis ac vinculis, quibus articulos refrigeratos obvolvunt & adstringunt.
(*n*) paulum abstricta.

naci utemur articulorum, jubentes eos quiescere, non solum *corporis officio*, sed si fieri poterit, etiam *cura animorum*, lecto mutato ad (*o*) grabata ægros transferendo. *Augetur* enim *solutio meatu quolibet.* Multum denique sanguine fluentibus prodesse immobilitas valuit.

In statu autem *accessionis* fovendum dicimus caput *oleo* frigido, atque *Hispano* recenti adhibito, etiam æquali (*p*) *motu* aeris adcommodato. *Densantur* enim corpora aeris motu percussa, atque plurimus sudor, non solum *cedentis* aeris, verum etiam *irruentis* tanquam repercussu [*q*] abstinetur. Utendum etiam *spongiis* teneris ex aqua frigida expressis, quibus *ora* atque *colla* ægrotantis circumtegentes virium resumptionem faciamus, temporum intervallis innovantes. Tunc totum etiam *pectus* atque (*r*) *oris* partes, eodem modo percuramus, frigidam infundentes spongiis, admiscentes etiam *aceti* quiddam, ac jugiter mutantes, ne perseveratione tactus ex vapore tepescant, & *amisso frigore non valeant facere densitatem.*

Aliquando etiam linteola tenuia tingentes similiter, aut succo *plantaginis*, aut *polygoni*, aut *portulacæ*, aut herbæ [*s*] *pulicariæ*, vel *semperviventis*, aut *myrti*, aut *rubi* comæ, aut *rosarum*, vel *mali Punici* decoctionibus, aut *hypocistidis* herbæ, aut *acaciæ* resolutæ ex [*t*] posca, aut oleo Hispano, vel lentiscino, pectori atque ori ventris

---

[*o*] lectulos humiles, aut humi strata cubilia.
[*p*] i. flabelli.
[*q*] coercetur, retinetur.
[*r*] vultus.
[*s*] psyllii.
[*t*] aqua cum aceto.

adponimus. At si sudorum perseveraverit fluor, probandam etiam *asperginem* quæ suo frigore ac propria virtute, vel obstrusione constringat, judicamus: cujus generis frigerantia, atque [*u*] obtrudentia tactu, & [*x*] densantia sunt hæc, terra *Samia* & *cimolia*: frigerantia vero, *rosa* arida, contusa atque [*y*] creta: etiam *alumen* scissum, *plumbum* exustum, atque lotum, *gypsum*, *mala Punica*, œnanthe, *acantha* Ægyptia, quam nos Latine spinam Ægyptiam dicere poterimus.

Hæc singula commixta, atque corpori adspersa per linteolum rarum, sudantibus locis, vel omnibus locis prodesse probantur. Oportet autem hæc singula diligenter conteri, atque ad summam *tenuitatem deduci*, ut patientibus irruentia, in iis ingressu quodam vehementem faciant *constrictionem*, & nulla corpus asperitate adficiant, qua possit æger aliter inquietari. Hinc namque commotus THESSALUS, unus e principibus nostris, eorum usum judicavit cohibendum. Etenim recte quoque valentibus [inquit] parva cujusquam asperitas contagio vigilias facere solet, stramentisque irruens, terga jacentium, vel alias corporis partes lacessendo inquietat.

Est autem possibile ex supradictis, & oleo Hispano, aut alio similis virtutis, *unctionem* facere constrictivam, non irrationabiliter. Namque plurimi *Medici* ad retinendos sudores *mannam thuris* ovi alboribus conterentes, ita ut crassitudinem mellis similarent, tota corpora perunxerunt.

[*u*] emplastica.
[*x*] pycnotica.
[*y*] per cribrum missa.

[z] Retenta etenim, ut ita dixerim, his virtutibus corporis ſuperficie, neceſſario ſolutio conſtringetur.

Probamus etiam *cataplaſmata* ejuſdem virtutis, ſed alia ſimplicia, alia ex ſimplicibus compoſita, vel variata. Pro magnitudine etenim paſſionis extendi, atque minui virtutes medicaminum debent, ex quibus ſunt hæc: *Palmulæ nucales* quas caryotas adpellant, tritæ cum oleo Hiſpano, aut myrteo, aut lentiſcino, aut melino, aut [*aa*] roſeo adſperſæ, admotæque, vel polenta, præterea & palmulæ, ſæpe vino infuſæ, aut aceto, aut poſca, vehementius profuerunt. Utemur etiam præinfuſis *Thebaicis* palmulis, & malis cydoniis elixis ſingularibus, vel admixto amylo diligenter contrito, atque creto.

Cogente paſſione etiam *galla* tuſa, atque creta admiſcenda erit, vel *acacia*, vel *alumen* & *hypociſtidis* ſuccus, aut *rhus* Syriacus cataplaſmatibus. Utendum & aliis ſimillimæ virtutis, ut palmulis, & malis contritis ſingularibus, vel cum altero; vel vitis foliis, atque amylo, & rubi, quem *Græci* βάτον adpellant, virgultis contuſis, & contritis, *myrto* etiam, & *polygono*, & *ſemperviva* herba, quam ἀείζωον vocant, & *plantagine*, & *roſa*, & [*bb*] *uva lupina*, & *portulaca*, & *intybo*, cum polenta, vel palmulis, & pane. Horum ſingula adponenda ſunt *pectori* ægrotantis, & *præcordiis*, ac frequentiſſime mutanda; quo frigida perſeverent, atque [*cc*] extenta medeantur.

Poſſunt etiam *rhois Syriaci* ſextarii quatuor in-

---

[z] occluſa.
[*aa*] roſaceo.
[*bb*] Solani ſpecie.
[*cc*] diu.

fusi, die atque nocte in aquæ sextariis viginti decoqui, donec quarta pars liquoris remaneat, atque ita colandus, ac rursum coquendus horis duabus donec coagulata omnia fiant, inductibiliaque & digitis convoluta nullam corpori [*dd*] infectionem dimittant, ut unam & eandem [*ee*] qualitatem sufficiant. Similiter enim imposita constringunt fluida, atque laxata corpora, & stomachi vigorem [*ff*] repræsentant.

At si *tumor* aliquis in *præcordiis* fuerit, non sine præcautione erit cataplasmatibus his localibus utendum: supra dictis denique erit *panis* admiscendus, quo nimietas constrictivæ virtutis temperetur. At si plurimus fuerit tumor, adhibendum simplicis [*gg*] *pollinis* cataplasma, sive panis [*hh*] infusi, quod *Græci* ὠμὴν λύσιν vocant, iisdem scilicet locis, sed [*ii*] neque calidum, ne corpus provocet in sudorem. Nos denique juxta SORANI judicium præcordiis imponere hoc *cataplasmatis* genus solemus. *Palmulas* quas *Græci* [*] patetos vocant, conterentes cum *melle* leviter præcocto, adsperso *lini* semine, atque contrito, ita ut qualitatem faciat [*kk*] inductibilem, & ut sæpe diximus, quæ adtrectata manibus nihil de se inquinamenti dimittat: *Græci* denique ἀμόλυντον vocaverunt. Tunc linteolo illitum adponimus medicamen. Utimur etiam pane cum palmulis: atque

---

[*dd*] digitis non adhæreant.
[*ee*] cum supra dictis.
[*ff*] restituunt.
[*gg*] purissimæ farinæ triticeæ, aut ordeaceæ.
[*hh*] in aqua.
[*ii*] minime.
[*] Caryotas AMM. *sed* patetos habet TRALLIANUS.
[*kk*] emplasticam.

ſecundum *pectus* vel thoracem, prioribus, & a *tergo* partibus aliqua ex ſupra dictis adponimus.

Potum dabimus frigidum, parvum, atque paulatim, ne liquoris multitudine corpus irrigatum laxetur, ſed magis tactu frigidæ qualitatis denſetur. Tempus autem *cibandi* ſi adjuncta febricula *diaphoreſi* fuerit, erit ex fervore corporis accipiendum, ſicut primo libro de febribus ſcribentes docuimus. At ſi ſine febribus fuerit paſſio, ex *pulſu* ſignum accipere poterimus, cum leviter erectum ſenſerimus, atque alia [*ll*] concurrentia fuerint levigata. Etenim nunquam ægros nutrire poteſt acceſſionis tempore quicquam datum: quippe cum magis opprimat, atque anxium faciat ægrotantem.

Quapropter [*mm*] adfectandum artis induſtria, aliis ex rebus vires uſque ad dimiſſionis tempus ſervare, & ita [*nn*] cibo nutrire. Utimur namque *odoramentis*. Hæc enim ſenſim quodam nutrimento reficiunt, ac reſumunt, [*oo*] latentem adjectionem corporis facientia, & cum quadam conſtrictione ac denſitate. Denique neque ſimpliciter, aut *indiſcrete* omnibus debemus bene olentibus uti odoramentis, aut omnibus acrioribus. Alia etenim [*pp*] percutiunt: alia diaphoreſim provocant in fluorem. Sit igitur *polenta* infuſa, atque *panis* aſſus aceto infuſus, vel mala *cydonia*, aut *myrta* & his ſimilia. Hæ enim defectu exſtinctam corporis fortitudinem retinent, ſicut ra-

---

[*ll*] ſymptomata.
[*mm*] conandum.
[*nn*] *ſubint.* deinceps.
[*oo*] blande refocillantia.
[*pp*] caput tentant, ſpirituſque irritant.

tio probat, atque DEMOCRITI dilatæ mortis exemplum fama vulgatum.

Utendum etiam *mulso* bene decocto ne ventrem fluidum faciat. Oportet namque tribus sextariis, etiam tres uncias mellis admiscere, & ad tertiam decoquere partem, & exinde singulos dare cyathos bibendos. Sic enim corporis servabimus vires, usque ad cibi tempus. Aliquando etiam *pyra* concoquenda *duracina*, quæ *crustumina* vocant, vel *cydonia* mala: cum nondum audemus quicquam de *vino* dando tentare, his utemur, quæ leniora procul dubio probantur. Erit enim suave, atque stomachum reficiens, & constringens supra dictum *mulsum*, tunc cum cibandi tempus venerit, quod plurima cum cautione erit adprehendendum. Siquidem plerisque ex initio accessionis febrium sudores concurrant, plerisque etiam in statu, aut declinatione. Cum itaque inhumectum atque siccum fuerit corpus, erit præcurandum *unctione* olei frigidi *lentiscini*, aut *Hispani*; ora etiam fovenda aqua frigida ex spongia, cum singularum partium [*qq*] adtrectatione. Tunc collutione oris ex aqua frigida *dentium limus* detergendus.

Dandus cibus simplex, sed aliquantulum [*rr*] coagulatus, ac frigidus, ne statim sudorem corpori moveat adjectus. Sit autem ejus materia *panis* ex aqua frigida diligenter *elutus* ut [*ss*] sui careat difficultate, itemque *oryza*, & *alica* ex aqua frigida, vel suavitatis causa quiddam decocti mellis admixtum. *Pultes* etiam non oleatæ, ova

---

[*qq*] blanda frictione.
[*rr*] solidus.
[*ss*] facilius digeratur & fecedat.

ἀπαλά. At ſi vires minime fuerint reparatæ, febribus declinantibus, ut totius paſſionis minui magnitudinem demonſtrent, *varius* eſt dandus *cibus*, ut cum prædictis demus aliquid *pomorum*, aut pyra duracina, & cætera quæ ſtringere valent, & vini ſimilitudinem ſervant.

Sed hæc nunc *cocta*, nunc *ſincera* dare debemus, mala etiam *cydonia* atque ea quæ *orbiculata* vocant, & *meſpila*, & paleales *uvas*, vel penſiles, quæ jamdudum fuerint ſiccatæ, & *Damaſcena*; carnis etiam quiddam ſed neque indigeſtibilis, neque difficilis, neque pinguis, neque [*tt*] *bromoſæ*, ſed ejus quæ ſit & digeſtione facilis, & corporis denſabilis, ac nutribilis, & ſufficiens levamento fortitudinis exſtinctæ, ut ſunt pulli *columbarum*, vel *gallinæ* paſtæ, aſſæ *perdices*, *attagenes*, quorum omnium pectora magis offerenda, & horum (*uu*] interius, cocta ac tenuiter adcurata ex oleo, aqua, anetho, & ſale. Facile enim corrumpunt curioſæ, atque gravabiles condituræ. Item ſi friabilis fuerit caro aſſata, tanquam cornea efficitur. Quapropter ſi quiſquam delectatione adfectus adcurari voluerit, erit primo coquenda, tunc aſſanda.

Dandi etiam porcini *pedes*, *ora*, *auriculæ*, & *ſummitates* articulorum: dandum etiam *cerebrum* & *vulva*: dehinc *hædina* caro, vel (*xx*) mollium *caprarum*, vel ſylveſtrium caprarum, aut *aprorum* [*yy*] clunes, quas *Græci* ψόας vocant.

[*tt*] fœtentis viroſæ, putidæ a voce Græca βρωμος.
[*uu*] interiora, i e. viſcera.
[*xx*] tenellarum ac juvencularum.
[*yy*] lumbi potius.

Item ex mari *mullos*, *squillas* [zz] *bancos*, *acus*, *labraces*. At si fastidiosi fuerint ægrotantes, damus *spondylos*, & *conchylia*, *buccina*, *peloridas*.

Si hæc omnia fastidio erunt, dabimus *ostrea*, & *echinos*. Item olerum *intuba*, *plantaginem*, *asparagos*.

Si neque ita vires surrexerint tanquam continuationem [*aaa*] humanioris indulgentiæ pro dedignatione passionis accipientes, ad *vini* dationem descendimus, quod ita [*bbb*] summum generaliter probamus, ut *album*, atque non [*ccc*] confusum, & *subausterum*, & medii temporis eligamus: qualia sæpe ita vina probantur, quæ *Surrentina* dicuntur, vel *Falerna*, & *Trifolina*, vel *Albana*, quæ in Italia nata probantur: item Græca, *Chia*, & *Lesbia*.

At si febres tenuerint corpus, leviora, atque tenuiora offerenda erunt vina, ut sunt in Italia *Sabina*, & *Tyburtina*, & gentiliter *Surrentina* adpellata, vel in Asia *Trifolina*. At si febres nihil obstiterint, erit melius *Surrentinum*, vel *Trifolinum*, atque *Albanum*.

Si vehementer corpus in solutionem disjici viderimus, & ex frigido [*] corpore vexari sine ulla febricula, dabimus nutribiliora, ac firmiora vina, ut *Setinum*, & *Falernum*. Sunt enim hæc efficacia & quæ facilius omnia quæ de vino speramus, accelerent, sufficientia fortificare, & totam relevare habitudinem corporis, omni etiam parti atque

---

[zz] banchos, ita apud PLIN.
[*aaa*] cibi justo largioris.
[*bbb*] in summa.
[*ccc*] turbidum.
[*] torpore.

atque particulæ ſeſe inſertare, & per omnes tenues vias celeri [*ddd*] potu percurrere; alia quoque nutrimenta ſecum trahere, & inducta corporibus inſinuare. Sed hæc cum primum dantur medio cibo ſunt offerenda cum alica, vel quolibet ſimili ſucco. Aquata etiam atque parva moderatione temperata, vel certe cum pane diſſoluto atque infuſo danda: dehinc paulo plus, ac mediocriter mixta cum aqua frigida, ac recenti, vel nivium liquore [*eee*].

Conjiciendum etiam ut mediocriter cibum demus, ſed per intervalla frequentius, præſentientes jam fuiſſe digeſta prædata. Quapropter melius erit paulatim atque frequenter offerre, quam ſemel ægrum nutriendo gravare. Multi etenim largioribus cibis oppreſſi refracti ſunt potius quam reſumpti. Nam ſicut parva ſcintilla plurima coacervatione lignorum opprimitur, vel lucernæ flamma marceſcens, olei multa infuſione fruſtratur, parva autem adjectione atque ſumptione recreſcit, & rurſum ardeſcit; non aliter corporis virtus [*fff*] inſumpta immodicis nutrimentis oppreſſa mortis dabit effectum.

Signa autem detrahendi *vini* hæc ſunt. Primo *torpor* atque ſtupor corporis [*ggg*] infractus: *pulſus* erectior: *ſudoris* quoque fluor primo non frigidus, dehinc [*hhh*] abſtinetur: *ſomnus* inſequens, & ad omnia quæque facilis ægrotantis adriſio,

---

[*ddd*] motu.
[*eee*] probe tenendum.
[*fff*] diſſipata, exhauſta.
[*ggg*] diminutus.
[*hhh*] abſtentus.

Tunc denique oportet, non [*iii*] denſe atque ſemel vinum detrahere, ſed paulatim ſubducere, & magis ſi febres nullæ fuerint repertæ.

At ſi poſt ſudoris [*kkk*] abſtinentiam, *febrium* fuerint acceſſiones ſubſequutæ, & ægrotantes ſufficienter reſumptos ſenſerimus, omnino *vinum* extemplo detrahimus. Sin vero adhuc imbecillos viribus viderimus, dabimus vinum moderatione cautiſſima.

At ſi forte *cibum* rejectaverint, debilitate ſtomachi concurrente, *conſtrictivis* medicaminibus utemur, non ſolum anterioribus partibus, ſed etiam poſterioribus pectoris adponentes, addita articulorum *ligatione*, & adpoſitione *cucurbitæ*, multa flamma ſubjecta, quæ infigenda erit ori ventris, atque interdum a tergo, nunc ante cibum, nunc poſt cibum, qui quidem frequenter ac pene continue erit offerendus. At ſi [*lll*] in toto non [*mmm*] tenuerint, cum vino accipientes, tunc ex *aceto* dabimus quicquam. Si neque ita, rurſum ex *aqua* tentabimus dare. Plerique enim ex *vino* atque *aceto* ſumentes, cum accepta non tenuiſſent, *aqua* conjuncta magis cibos tenuerunt.

In his vero qui faſtidio vexantur, erit tentandum ciborum varietate pugnare. Solent enim veluti tentandi pulmenti cauſa, ex multis parva ſumendo, unam facere cibi ſumptionem. [*nnn*] Adfectanda etiam [*ooo*] *odoramenti* reſumptio erit,

---

[*iii*] confertim. ἀθρόως.
[*kkk*] quæ vires eſſe reparatas docet.
[*lll*] plane retinuerint.
[*mmm*] tentanda.
[*nnn*] odoramentis.
[*ooo*] emplaſtrorum.

vel nutribilium *cataplasmatum* atque [*ppp*] *inductionum* adpositio.

At si omnis spes fuerit absumpta, erit per *clysterem* cibus injiciendus, sed neque ptisanæ, aut cujusquam labilis qualitatis, quod facile lubrica faciat intestina. Est enim perniciosissimum in *cardiacis*, fastidio (*qqq*) adtestante, ventris fluorem commovere. Quapropter erunt (*rrr*) hæc ex *lenticula* adhibenda, & primo parvissima. Tunc in vino cum aqua *panis* adtritus, & expressus. Sic enim corpori fit additio: atque vires resurgunt: & *stomachus* jamdudum supinus fortificatur, (*sss*) altiora constringentur.

At si omnes partes fuerint solutione laxatæ, similiter hæc omnibus sunt adhibenda, in illis etiam quæ occulta *diaphoresi* contabescunt. Differentia etenim *accidentium* mutata videtur, *genus* autem passionis idem manet. Dehinc si profectus quisquam fuerit supra dictorum adjutoriorum, erit implenda resumptio usque ad perfectionem desideratam: sed tunc a *lavacro* temperandum, aut multo tardius adhibendum.

At si *febres* perseveraverint, ut in *marcorem* venire ægritudo meditetur, quem *Græci* μαρασμὸν vocant, ad ejus curationem descendemus, sicuti libris de febribus scribentes docebimus. Hæc est secundum SORANUM cardiacorum methodica curatio.

(*ppp*) emplastrorum.
(*qqq*) præsente.
(*rrr*) *subint.* clysteres.
(*sss*) quam quæ clyster adtingit.

CAPUT XXXVIII.

Quomodo aliarum sectarum principes cardiacos curaverint.

ANtiquorum plurimi *cardiacorum* curationem tacuerunt, aliqui vero memoraverunt, ut SERAPIONIS, atque HERACLIDIS sectatores, & quidam HEROPHILI, item ASCLEPIADES & THEMISON, parvissime quidem, at iisdem deceptionibus implicati. *Plebotomant* enim, & *clysteres* adhibent acerrimos; & ob calefaciendum articulorum frigus pannos adplicant calidos, & lanas oleo infusas, ac *sulfure* fumigatas. Terunt etiam oleo veteri ac sicyonio cum pipere sulfur, & cachry, & ammoniaci guttam, & laserpicium cum bulbis. *Cataplasmant* præterea ex lasere & bulbis, (*a*) *sympasmatibus* utentes, quæ nos aspergines dixerimus: item & calce cum pipere: *cibis* acribus utentes, atque (*b*) edacibus: alii salsamento, & lasere: & per totum diem atque noctem, vino usque ad ebrietatem replerunt.

Alii vero in *aquam* frigidam ægros deposuerunt. EUDEMUS THEMISONIS sectator ait per clysterem aquam frigidam injiciendam. Sed hæc omnia gravia, atque execrabilia, & ægrotantibus perniciosa esse perspicimus. Etenim *phlebotomiam nihil jugulatione differre ratio testatur.*

(*a*) alii vocant διαπάσματα.
(*b*) erodentibus.

Quippe cum hæc faciat quæ ipſa nititur paſſio, mentem disjicere, & corpus in mortem per ſudores ſolvere, ac ad ſuæ primordia revocare defluxionem, atque caſum virium augere.

Quibus denique commoti eorum ſucceſſores, ajunt eſſe eos *phlebotomandos*, qui proni ac declives in *cardiacam* ſint paſſionem, non advertentes, (*c*) quia ipſa quoque in paſſionem prona declivitas nulla re alia corpus adfici quam ſolutione teſtatur. *Clyſteres* etiam adhibentes quos utiles probaverunt, corpora reſolvunt, & ob acrimoniam aperiunt. Sed ajunt coacervatam atque celerem per ſuperficiem corporis (*d*) inſumptionem retineri, cum ad ventrem, vel inteſtina fuerit converſa fluentia. Hoc quidem ſi more mechanico, ac ſimili miraculo ſe facere poſſe promittunt, ut aperientes ventris interiora, ſuperficiem corporis claudant, erit credibile quod promittunt. Sin vero, ut in omnibus videmus, ſuperficie fluentia augeri potius quam minui interiorum fluxu, debilitate creſcente cognoſcunt, (*e*) contrarius procul dubio clyſteris uſus (*f*) accipitur, atque fluentium relaxator.

Dehinc conſequens non eſt, imo etiam incongruum judicandum, articulos (*g*) igneis medicaminibus confricare, ut ex alto ad ſemet materiam ducant. Injicere quoque inteſtinis acriora, ut illuc concurrens ex articulis materia, atque ex

---

(*c*) quod.
(*d*) diſſipationem.
(*e*) noxius & inutilis.
(*f*) cognoſcitur.
(*g*) igneæ acrimoniæ.

omni corporis ſuperficie adtrahatur, rurſum ad altiora corporis conducta, ſimilis erroris eſſe probatur. *Eſt* igitur *melius propria viarum ac naturæ ſpiramenta ſervare, & non infracta corporis fortitudine, acutiori atque celeri ſolutioni corpus aptare.* Ferventia vero & ignea & urentia ad (*h*) viſa mentis ſimplicia, quæ adpellant *phantaſiam*, ſunt frigori atque torpori congrua, ad virtutem tamen incongrua. *Eſt* enim *ſolutioni accidens atque comes corporis frigidus torpor*, qui ferventibus rebus aucta paſſione neceſſario duplicatur. Serviunt enim dominantibus adpendentia. Dehinc acria, ſiquidem non ſint mitigativa, celeritatem paſſionum acutiorem faciunt adjuvando. Prohibemus (*i*) injectionem aquæ *frigidæ*. Siquidem celerrime calefacta interiorum fervore, adjuvet ſolutionem: faciat etiam (*k*) delectatione quadam ventris officium provocari. Non aliter & in *aquam frigidam* deponendos prohibemus ægrotos: non enim manet lenis atque mitis (*l*) conſtrictio.

Item ex *ſinapi* cataplaſma prohibemus. Siquidem ſit *recorporativæ* virtutis, quam *Græci* μετασύγκρισιν vocant, cum paſſio atque ejus celeritas mitem demonſtret atque exigat curationem. Præterea *ſinapiſmi* acrimonia hortationem fieri *ſudorum*, nemo eſt, qui neſciat. Sicut enim ſemper *lachrymam* commovet oculorum acrioris humectatio *collyrii*; non aliter ſupradicta contingunt.

Item *bulborum* putamina molliunt, non conſtrin-

(*h*) quantum ratio exigere videtur.
(*i*) cum clyſtere.
(*k*) irritarione.
(*l*) quæ ex aquæ frigidæ balneo perficitur.

gunt. Illa vero quæ eorum (*m*) *corpulenta* videntur, recorporativæ virtutis esse noscuntur. Reprobamus etiam *aspergines* ex calce atque fæcibus, & pipere. Hæc enim singula corpus incendunt, & in ignis vicem suburunt, & superficiem corporis vulnerant: quo fit ut sæpe transitum faciant in gravissimos tumores. Non sunt hæc denique ex genere mitium adjutoriorum.

Est etiam (*n*) iners *allium* dare atque *laser*, & *salsamenta*, vel communiter acriores cibos, sunt enim digestione in ventre difficiles, atque in (*o*) spiratione corporum tardi, & inflant. Hæc nunc communiter omnibus respondenda. Etenim TARENTINUS HERACLIDES phlebotomat atque clysterizat, & calidis, & laxativis utitur cataplasmatibus. Nunc quomodo ASCLEPIADEM adhuc quidam recte loquutum accipiant, & ea quæ posuit principalia, retractemus.

(*m*) succus bulborum acris.
(*n*) non secundum artem.
(*o*) digestione ac distributione in corpus.

CAPUT XXXIX.

Utrum recte ASCLEPIADES, *cardiacos curaverit.*

HIc quoque secundo libro *celerum*, vel acutarum passionum, providens ne qua sit in corpore cruditas, *clysteres* adhibet operantissimos, ob (*a*) transversionem faciendam. *Primo* nescius

(*a*) aversionem, & revulsionem.

quæ ſit operans in *cardiacis* cauſa, & tanquam HEROPHILI ſectator, indigeſtionem, atque corruptionem intuendam exiſtimans. *Secundo* ignarus, quia poſt antecedentem diem eſſe in corporibus indigeſtio poteſt: at vero *cardiacorum* paſſio frequenter quinta, vel ſexta die emergere perſpicitur. *Tertio* eſt gravis atque noxia clyſteris injectio, non ſolum *ſolutione* laborantibus celeri, ſed etiam *ſtrictura* adfectis. Siquidem commoveat atqua turborem corporis efficiat, quando fuerit operoſior ac frequens, ut ASCLEPIADES jubet: in diaphoreticis vero (*b*) interfici (*), livor eſſe probatur.

Ipſe denique ASCLEPIADES de peripneumonicis ſcribens confitetur noxios eſſe *clyſteres*, dicens; clyſterum genus non in peripneumonicis ſolum noxium, ſed in omnibus etiam ſine febre paſſionibus inſidioſum, atque vexabilem corporum eorum uſum judicans: item ſpecialiter indicans injectionum vexatione corporum *ſolutiones* augeri, atque jactationes, & ſitim vehementem: *Siquidem ſint*, inquit *virium captrices*. Idem clyſterum vexationem etiam in *pleuriticis* demonſtravit. Similiter & in *phreniticis* tanquam interfectricem metuit ventris turbatam ſolutionem, quorum debuit memor neque in *cardiacis* clyſteres adhibere. Alios enim plurima *ſtercorum* gravatione oppreſſos, & propterea *ſudantes* ſalutare eſt relevare *clyſtere* ad mentis (*c*) alienitatem detrahen-

---

(*b*) injici noxium.
(*) interficiens.
(*c*) alienationem.

dam, ſed hoc ſimplici atque miti uſu clyſteris, quos ita adfectos non dicimus eſſe *cardiacos*.

Item poſt injectionem adhibet *cataplaſma* ſiniſtræ mamillæ, conſtrictivæ virtutis: ſed corpus, ob excludendum frigidum torporem, calefaciendum probat *unctionibus* olei veteris, ac defricandum manibus calidis, & pannis circumtegenda loca: ex quibus, calefactiones atque unctiones ſuperioribus dictis excludendas adſeruimus. *Conſtrictiva* vero *cataplaſmata*, non ſolum ſiniſtræ mamillæ erunt adponenda, ſed omni pectori, atque præcordiis.

Erat autem ASCLEPIADI conſonans adprobanti *tumorem* in corde conſtitutum, ſimiliter laxativa cataplaſmata eidem adhibere. Dehinc eſt incongruum, atque non conſequens adfectare per clyſterem e corde aliquid trahere, & conſtrictivis cataplaſmatibus e ſuperficie corporis materiam ad id, quod patitur revocare; ut ſtricturam, quam eſſe in tumore cordis advertereat, duplicare videatur.

Jubet etiam dari *vinum* (*d*) noctibus, diurnis, atque jugiter: ſed id vinum cui *ſalem* miſcuerimus, & quod adpellavit τεθαλασσωμένον. Cito enim inquit currit, ac labitur, & ad omnia corporis membra pervenit. *Cibum* dat betam cum lenticula, quem adpellavit *ſeutlophacen*, vel lenticulam cum ptiſana, aut oryza, aut alica, vel aliqua ex maritimis, & quid ultra inquit? ea nos dare convenit, quæ ægri fuerint voluntati gratiſſima. Probat autem *vinum* dandum poſt cibum: ſiquidem (*e*) ſolum facile penetret, ac pertranſeat corpo-

(*d*) noctu interdiu.
(*e*) i. e. ante cibum datum.

ra, non aliter quam ſi ſine ulla fæce per (*f*) liquatoria fundatur, quorum cavernæ, nullis obſtantibus, facile accipiunt, atque reddunt accepta. At ſi poſt cibum (inquit) datum fuerit, manebit, non aliter quam ſi cum fæce, ut ſupra dictum eſt, in liquatoria fundatur. Jubet etiam *meracum*, non mixtum dari. Hac enim ratione (inquit) *exuſtæ viæ* tanquam ex igni conductæ ſudorem retinendo conſtringunt.

Eſt autem iners, & inertiæ plenum, tota die atque nocte vinum dare, & cibo nutrire. *Plurima* enim *adjectione nutrimenti vires opprimi neceſſe eſt.* Item *ptiſana* ventrem commovet, in fluorem lapſum, ſuæ faciens (*g*) qualitatis. Contraria denique lenticulæ qualitati probatur. Vinum quoque incongruum, atque intemporale, & immodicum probatur. *Incongruum*, ſiquidem ſit *ſalſum*, quod adpellavit τεθαλασσωμένον, & propterea ventrem ſolvat, & ex omni corporis parte vires deponat. Sit præterea *inflabile*, atque virium vexabile, non ſolum ægrotantibus, ſed etiam ſanis hominibus. Forſitan (*h*) hoc & *fervens* (*i*) dederit. Tacuit enim frigidum dandum (*k*) Culpans denique libris, quos de *lue* conſcripſit, CLEOPHANTI ſectatores vinum frigidum dantes. *Immodicum* diximus, ſiquidem plurimum det atque extentum: & meracum temperamento quærit, cum etiam ſani quanto plus biberimus, tanto plu-

---

(*f*) colum.
(*g*) i. e. laxum, lubricum.
(*h*) vinum.
(*i*) ASCLEPIADES.
(*k*) culpat.

rimum ſudoris effundimus. *Intemporaliter* autem: ſiquidem ante declinationem dandum juſſit.

Eſt præterea *ridiculum*, quod poſt cibum dandum vinum propterea dicat, ne citius currens corpora pertranſeat, probans e contrario *ſalſum* dandum, quo citius corpora penetret, ac ſuos effectus exhibeat. *Hic* eſt ille ASCLEPIADES *frigidans, atque calefaciens, exantlans atque replens, & contrariis ſemper utens rebus, in his paſſionibus.*

CAPUT XL.

Utrum reſte THEMISSON *cardiacos curaverit.*

THEMISON vero quædam *recte* dixiſſe perſpicitur ob *cardiacorum* curationem, quædam *prave*. *Vino* namque cum *amylo*, trito cum *bulbis*, & *ammoniaci* gutta cum vino & ovi albore, & *pipere* trito cum *ſinapi*, corpora defricanda exiſtimat. Dat etiam cibo *allium* cum pipere: dehinc in ſcaphulam deponi jubet ægrotantes, quæ ſit aqua plena calida. Item poſt cibum adhibet *geſtationem*, ſiquidem ſint, inquit, imbecilla ac debilia nimium corporis officia, & indigeant hoc adjutorio, quo partim etiam *caro* commoveatur, ſua (*a*) promota (*) ſubſtantia, hoc eſt *ſpiritu*, atque *nutrimento*, ex quibus concreta perſpicitur: quæ omnia facere valet geſtatio, omni corpori ſuffundens materiam. Mox denique inquit adleva-

---

(*a*) i. e. ſpiritibus & humoribus celerius motis.
(*) præmota AMM.

tos, atque magnitudinem accipientes pulſus invenimus.

Sed hæc ASCLEPIADIS nugis ſunt adjungenda. Demonſtravimus enim ferventium medicaminum fricamenta eſſe neceſſario noxia, & ſinapi (*b*). Tentat etiam *inflabiles cibos:* & quanquam hæc ſint omnibus celeribus atque acutis paſſionibus inimica, multo tamen vehementius *cardiacis.* Geſtatio vero & incongrua, & intemporalis eſſe probatur. *Incongrua* inquam, ſiquidem ſit laxativa. *Omnis* etenim *motus viarum efficit raritatem. Intemporalis* autem, ſiquidem poſt cibum fieri jubeatur. Etenim ſi ſanos poſt cibum vexat motio, non permittens naturæ quadam requie, ac tacito motu ad ſuos effectus (*c*) accepta perducere, quid ſperare de ægris ac ſolutione laborantibus poterimus? *Pulſus* vero poſt geſtationem erigitur *cardiacorum*, non ob reſumptionem virium, ſed ob turbationem corporis motu conceptam, ex qua magis (*d*) adjuvari paſſionem diſſolutione corporis judicamus.

Hic ratio celerum cum febricula paſſionum curationis terminatur. Nunc tranſeundum ad eos qui ſine febribus eſſe noſcuntur.

(*b*) in uſum vocat.
(*c*) cibum ac potum.

ACUTORUM MORBORUM

LIBER III.

CAPUT PRIMUM.

De Synanche.

CElerum *cum febricula* paſſionum curationem præſcriptis tradidimus libris: nunc autem earum quæ *ſine febribus* eſſe noſcuntur ordinabimus, quo cunctarum perfecta diſtinctio compleatur. Initium namque a *ſynanchica* paſſione ſumemus, quæ nomen a *ſuſpendii* ſimilitudine habet, quod non aliter quam laqueus præfocans interficiat: nam *Græci* ἀγχόνας ſuſpendia vocaverunt, ſive quod ſpiritum continendo ſpirationem neget: *Græci* enim συνέχειν continere adpellant. Alii vero etiam *cynanchen*, vel *lycanchen* hanc paſſionem vocaverunt, ſiquidem frequenter hæc animalia adficiat. Nam canes κύνας, lupos λύκους vocaverunt, quorum quoque ſimiles voces ſive ululatus in ſynanchica paſſione conſtituti, cum præfocari cœperint, emittunt.

Synanches igitur alia eſt *ſine* manifeſto indicio, alia *cum* viſibili atque manifeſto: & alia *intra* oris ſpatium, alia *exterius*, alia ex *utroque hoc*, exteriore atque interiore, parte *dextra* vel *ſiniſtra*, aut in *utraque*. Denique quidam ſpecialem diſcretionem etiam nominibus poſuerunt, ut VALENS *phyſicus* libro tertio curationum. Eam igitur, quæ ſine manifeſto tumore eſt, ſine nomine reliquerunt. Eam vero quæ cum manifeſto, ſi in utra-

que (ajunt) parte (*a*) *interiorem* fuerit, *cynanchen* vocandam. Siquidem faciat difficultatem *ſpirationis*, atque *oculorum* prominentiam, & *linguam* procidentem, tanquam canibus avidis ſæpe contingit, cum ea quæ minime tranſvorare poſſunt, admonente natura, aviditate impavida, minas contemnentes invadunt, quæ ſæpe faucibus inhærentia, atque ancipiti retentione tardata, neque percipere, neque reddere valuerunt. Eam vero, quæ in altera fuerit parte, *paracynanchen* vocaverunt. Item in exterioribus, atque utraque parte tumore conſtituto *hyanchen* adpellaverunt. Siquidem *ſuum* colla his ſæpiſſime (*b*) inflationibus adficiantur, quos *Græce* hyas adpellant. At ſi *interius* atque *exterius*, & in *utraque* parte fuerit tumor, tunc proprio nomine *ſynanchen* memorant nuncupandam. At ſi in *altera* fuerit parte, *paraſynanchen*. Nihil autem refert ſpeciales differentias proprietate nominum ſeparare.

Antecedentes *cauſæ*, quibus hæc ſufficitur paſſio, aliquæ ſunt *occultæ*, aliquæ *manifeſtæ*, atque cæteris quoque communes paſſionibus, maxime tamen conabiles atque laborioſi *vomitus*, plus etiam ſi poſt cibum jam corruptum. Item *vinolentia*, vel *nivis* potatio, aut *exclamatio* vehemens, atque eodem modo perſeverans, quam *Græci* monotonon vocant: Item *catarrhus*, & acriores cibi præter conſuetudinem accepti; item ferventia atque *ignita medicaminum* pota, vel purgatio per *helleborum* provocata, quibuſdam etiam *fœminis* menſtrualis retentio purgationis. Adficiuntur au-

---

(*a*) faucium.
(*b*) *forte* inflammationibus.

tem hac paſſione magis *viri* quam mulieres, quorum plus *ætatis mediæ* & juvenes, quam pueri atque ſenes.

Hanc definiens ASCLEPIADES paſſionem ſecundo libro explanatorio aphoriſmorum HIPPOCRATIS, *ſynanche*, inquit, *eſt humoris fluor, ſive humectatio faucium, vel ſummitatis ipſarum, ſæpiſſime ex capite accidens:* ſed hoc peccanter definiunt. Omnis enim humoris fluor quem *rheumatiſmum* vocant, multi liquoris eſt lapſus, ſive egeſtio. In *ſynanchicis* vero tumor videtur, & non, ut ſupra diximus, humoris plurimi egeſtiones, niſi hoc aliquando ex *preſſura* venerit.

Nos vero juxta SORANI ſententiam *ſynanchen dicimus difficultatem tranſvorandi atque præfocationem acutam ob vehementiam tumoris faucium*, ſive in locis quibus nutrimenta tranſvoramus. Adjecta eſt autem tranſvorandi difficultati præfocatio celerrima, ſive acuta, ad diſcretionem tumoris *tonſillarum* ſive *uvæ*. Ubi enim *ſynanche* fuerit, etiam tumor neceſſario locorum ſupradictorum conſequetur, ſed non illico, ubi tumor fuerit eorundem, etiam *ſynanche* nuncupatur. Siquidem qui mediocri difficultate fuerint tranſvorandi impediti, nondum *ſynanchici* videntur. Hæc enim in magno tumore paſſio intelligitur habere ſubſtantiam. Item ad diſcretionem præfocationis illatæ per *laqueum*. Eſt enim ipſa quoque acutiſſima, atque celerrima præfocatio, ſed non ex tumore (*c*) deſcendens.

(*c*) orta.

CAPUT II.

Quæ consequantur synanchicos.

SEquitur autem eos qui jam passione tentantur *querela* sine ulla ratione, atque difficilis motus *colli*, & *gutturis*. Item *salivatio* plurima præter tumorem, subdolens *faucium* sensus, cum asperitate sensibili. Item *difficultas* transvorandi liquoris soliti, salivarum more collecti: tunc spirationis velut impedimentum, tanquam obstantis crassioris humoris. Surgente vero ac crescente passione, sic ut manifesto *tumore* pars fuerit rubens facta, videbitur tumor *faucium*, atque *uvæ*, & supra *linguam* partium, & summitatis *gutturis*, cum difficultate transvorationis omnium acceptorum. *Præfocatio* etiam pro tumoris modo, spirationis difficultas, & nauſearum provocatio. Dehinc sicca (*a*) *tensio*, si quis os ægrotantis aperuerit, & digito linguam (*b*) oppresserit, invenitur.

Crescente vehementius passione, omnium *tumor* efficitur, *colli* atque *vultus*, & humoris crassioris ac salivarum fluor, *oculi* prominentes, sanguinolenti, & venarum extentio. At si pejus increverit, *linguæ* ultra dentes ad exteriora *prolapsio*; ariditas sive siccitas *faucium*; articulorum gelidus torpor; *pulsus* celer, densus; jacendi difficultas, & magis

(*a*) ex inflammatione.
(*b*) depresserit.

& magis in ſupino ſchemate, vel in latere: frequens etiam ſedendi cupiditas, item loquutio non articulata, ſed confuſa, atque cum dolore.

At ſi in *exitium* paſſio cæperit ferri, *livor* vultus: *vocis* amputatio: gutturis atque pectoris *ſtridor*: *recurſio*, ſive recurſus poti liquoris: *pulſus* defectio, quam *Græci* ἀσφυγμίαν vocant, & quibuſdam oris ſpumatio. Tunc etiam neceſſario *mortis* effectus.

At ſi ſine manifeſto tumore fuerit paſſio, ſequitur *collorum* tenuitas, cum *extentione* atque ſubrectione inflexibili. Item *vultus* & *oculorum* cavitas: *frontis* extentio, *color* plumbeus, *ſpirationis* difficultas plurima, nullo, ut ſupra diximus, manifeſto tumore, ſive (*c*) inflatione aliqua adparente, neque in internis, neque in externis partibus, hebetudo plurima, atque imbecillitas ægrotantis: & celerrimus, vel acutus cum præfocatione, mortis effectus.

At ſi circum colla ſe *ignis ſacer* infuderit, ſive in *pectore* adparuerit, & fuerit *perſeverans*, frequentiſſime bonum portendit. Siquidem adſcenſus tumoris *ex alto ad ſuperficiem* venire videatur. At ſi ſine ulla ratione adjutorii cujuſquam medicinalis beneficii, repente (*d*) non adparet, ſalutem negabit: deſcenſus enim a *ſuperficie corporis ad altiora* monſtratur. At ſi forte non (*e*) *ſecundo* irruens, vel ex alto acceptus ad ſuperficiem fuerit *ignis ſacer*, ſed antecedens paſſionem, aut eidem concurrens, *omnia mala* ſignificat.

(*c*) inflammatione.
(*d*) introrſum redit, atque divaneſcit.
(*e*) *i. e.* in ſtatu morbi.

Humor autem plurimus, ſive *ſalivarum fluor* in craſſitudinem coactus ſi *in ſtatu* adparuerit, mala oſtendit. *Poſt ſtatum* vero paſſionis, ſalutaria pollicetur. (*f*) *Alias* enim plurimam *præfocationem* ſignificat, (*g*) *alias* corporis *laxamentum:* in quibuſdam etiam tantum tumor increſcit, ut ſtricturam faciat in faucibus atque gutture, & mento.

Eſt autem *paſſio ſtricturæ acuta*, *atque celeris*, & *vehemens*, & ſæpiſſime continua, aliquando intercapedinata.

(*f*) *i. e.* in ſtatu.
(*g*) *i. e.* poſt ſtatum.

CAPUT III.

Quomodo curandi ſint ſynanchici.

OPortet in paſſione conſtitutos, jacere *loco lucido*, atque moderatæ amplitudinis, nullo etiam *odore* corrupto, *calido.* Eſt hujuſmodi laxativus aer, & qui primus tumentibus miſceatur. Jacendi *ſchema* eſſe ſupinum convenit, paulo levatius capite collocato, firma atque immobili poſitione, vel qua ſe magis relevari ægrotantes dixerint. *Omnis* enim *motus* (*a*) *dolidus eſt tumore oppreſſis.* Lanis etiam mundis ac mollibus & non infuſis *colla* protegenda cum *thorace*, adhibita articulorum blanda fricatione. Tranſmittitur enim naturalis vaporis laxamentum, etiam ad illas partes, quæ patiuntur.

(*a*) moleſtus.

Adhibenda quoque *requies* & *abstinentia* usque ad primam diatriton cum *gargarismate* laxativo, cujus species sive materias paulo post subjiciemus. Adhibenda etiam *fomentatio* olei dulcis calidi, & adponendæ exterioribus partibus vesicæ oleo dulci calido semiplenæ.

Adhibenda etiam *phlebotomia*, si vehementer passio coegerit, *intra diatriton*. Etenim indiget repentina sanguinis detractione; ob celerrimum laxamentum. Si autem minus necessitas impulerit, *in ipsa diatrito*, vel durantibus viribus etiam *post ipsam*, phlebotomia poterit adhiberi, (*) sic tunc necessitas emerserit faciendi. Cujus facti rationem de specialibus adjutoriis scribentes docebimus. Igitur intra diatriton phlebotomato erit post detractionem sanguinis *caput fovendum*, atque *collum* oleo calido; & ex eodem *auribus* quiddam immittendum; tunc *gargarizandum*. Potum dabimus *aquam* calidam: vel *mulsum*, & non coacervatim, sed paulatim; ne transvoratione gravi ac percussu tumentia (*b*) indignentur.

At si in ipsa diatrito phlebotomiam adhibuerimus, oportet post detractionem factam circumungere *corpus* ægrotantis oleo dulci, atque calido, & *faciem* aqua calida mediocriter fovere. Tunc *sorbilem cibum* dare, sed omnino tenuem, vel fluidum, vel panem ex mulso tinctum. At si *transvoratio* fuerit difficilis; qua obsistente non percipiant ægrotantes accepta; erit sufficiens viribus fulciendis *mulsum* guttatim faucibus infusum: perseverandum etiam usque ad declinationem passionis, in alterna dierum cibi refectione.

(*) *nonne potius si?*
(*b*) irritentur.

Convenit præterea *post phlebotomiam* sequentibus diebus *cataplasmatibus* uti, quæ circum colla erunt extrinsecus adponenda, miti tamen simplicitate confecta, ut est *panis* calidus ex aqua & oleo, vel mulso diligenter emollitus, vel *pollines* tritici aut hordei, aut seminis *lini*, aut *fœnugraeci*. Singula hæc sive commixta ex calida & oleo & melle, vel aqua in qua fuerit decocta *hibisci* radix, aut contrita & admixta. Mutanda præterea frequentius erunt hæc *cataplasmata*, ne perseveratione sui, corrupta corporis exhalatione, in *acorem* veniant. Erunt etiam calefacienda, quo (*c*) tardius maneant evaporata, positis extrinsecus *saccellis* ex cantabro aqua cocto confectis, vel *vesicis* calida & oleo semiplenis.

Convenit etiam *spongiarum* vaporatio, expressarum ex aqua calida, aut admixto oleo, vel decoctione mitium materiarum laxativæ virtutis. Adponendæ quoque spongiæ *collo* atque *gutturi*, & his partibus, quæ (*d*) haustum negant, vel ori & naribus: jubendus etiam æger *aperto ore* ad semet vaporem rapere (*). Descendentes enim, ad altiora haustu raptæ vaporationes tumorem relaxant.

Sunt etiam *gargarismata* congrua cataplasmatibus, ut *oleum* dulce est, atque calidum, vel calida & oleum: tunc *mulsum* aquatum, & decoctum: & *lac* singulare, sive cum melle, aut aqua admixtum, ut omnia detergantur, quæ forte lactis tactu fuerant (*e*) derelicta, ne remanentia

---

(*c*) diutius calida maneant.
(*d*) deglutitionem impediunt.
(*) Ascendentes A M M.
(*e*) nimirum partes lactis caseosæ.

fervore locorum in acorem veniant. Item utendum *decoctione* cantabri atque glycyrhizæ, vel lini ſeminis, ac fœnugræci, ſed nuſquam ad craſſitudinem ſucci facta decoctione, ne ob viſcoſam tenacitatem, humorum fluori connexa, difficultatem faciat ſpirationis. Tunc etiam decoctione *hibiſci* utendum, vel *malvæ* agreſtis, aut *myxarum* Syriarum, aut *muſci* herbæ, atque palmularum pinguium, vel fici ſucculenti. Item ſucco halicæ aut ptiſanæ.

At ſi paſſio cœperit declinare, convenit etiam *Sybariticum* & *Creticum* paſſum. Ea vero quæ ſunt leviter *ſtringentia*, & quæ adpellant (*f*) *ſtymmata*, nunc incongrua judicamus. His enim utemur quoties *initia* fuerint paſſionis, levibus adhuc querelis adfecto ægrotante, aut dolore levi in *faucibus*, vel *uva*. Tunc enim etiam THESSALUS adhibendam *poſcam* judicavit, ſiquidem pronos atque in paſſionem *ſynanchicam* declives, nec dum tamen patientes (*g*) vocaverit.

Utendum denique non ſolum poſca, ſed etiam *decoctione* leviter conſtrigentium materiarum, ut *roſarum*, *palmularum Thebaicarum*, *lenticulæ*, *myrti*, *lentiſci*, *maſtichis*, quæ ſingula erunt in mulſo decoquenda, vel quolibet ex ſupradictis ſucco, quoties viderimus conſtrictivam virtutem admixtione laxativi liquoris eſſe frangendam. Facit etiam *oryzæ* ſuccus, atque *diarodion* medicamen mulſo reſolutum, ac ſæpe (*h*) ſubſtantia ſervata faucibus illitum. Non aliter etiam quod *diamoron*

(*f*) ſύφοντα.
(*g*) curaveris.
(*h*) non diſſolutum.

adpellatur & *dioporon*, & (*i*) *diamyrrhion*, ſive (*) ANDRONIS, & POLYIDÆ (*k*) *ſphragis*, & *anthera* cum melle, & omne medicamen quod confectum ſit ex *malo cotoneo*, aut *Punico*, vel *roſæ* floribus, vel mali *Punici* cortice, ſive *galla*, vel *omphacio* aut *lycio*, & his ſimilibus.

Sed in augmento paſſione conſtituta illis utemur, quæ ſupra jamdudum memoravimus.

Humorem præterea fervore (*l*) nutritum, ſi glutinoſum viderimus factum, tanquam in *oculis* ſupernatantem, ſpongia calida detergimus: ſin vero in (*m*) *alto* fuerit conſtitutus, *dypyreno* immiſſo prætecto ejus capite lana molli, ac limpida. Etenim ſi remanſerit, præfocationem magis accelerat. At ſi nimium *altiora* tenuerit, ut videri non poſſit, erit tenuandus, dando *mulſum*, ſed præcoctum. Eſt enim efficacioris virtutis, quam ſi non fuerit coctum. Quidam etiam *ptiſanam* dederunt parvo ſale admixto. Sed ſunt fugienda, quæ uſque ad ſenſum veniunt mordicationis: ſiquidem tumoribus provocatis fluor quoque humorum craſſeſcat. At ſi *venter* officium non agnoverit, etiam *clyſtere* utemur, injicientes aquam calidam cum oleo, nunc ſolam, nunc admixto melle. Etenim ſurgens ex iſto liquore *vaporatio* (*n*) collaxat tumentia, & egeſtus venter facilia facit ſpiramenta, non ſolum *ſynanchicis*, ſed etiam ſanis hominibus. Manens

---

(*i*) diamyrtωn vel διαμυῤῥίνης.
(*) *adde* paſtillus, AMM.
(*k*) trochiſci ſigillo aliquo notati ?
(*l*) denſatum.
(*m*) in imis faucibus.
(*n*) colla laxat.

enim (o) *alienitas* gravat, atque oppreſſione quadam acerrimas facit corporis exhalationes, quibus tumentia provocentur, caput impleatur.

Sed poſt clyſteris uſum erunt etiam *cucurbitæ* cum ſcarificatione adponendæ, dimiſſionis tempore. At ſi continuatio fuerit, initio lucis, quo tempore etiam cæteris (p) *diſtrictivis* adjutoriis uti conducit. Adponendæ aliæ igitur *collo tenus*, vel *gutturi*, quæ loca anthereona *Græci* vocaverunt: item *cervici*, ſive nervis majoribus, quos tenontas adpellant, Item ſingulæ ex utraque parte ſub *aurium lacunis*, quibus in locis etiam faucium poſitio eſſe perſpicitur.

At ſi paſſio perſeverarit, & æger ad perferendam curationem fuerit mollis, ut ferri cuſpide metu ſe contingi prohibeat, *ſanguiſugas*, quas *Græci* βδέλλας adpellant, adponemus iiſdem locis, quæ ſupra memoravimus. Tunc poſt earum caſum, ſi (q) minime factam ſanguinis detractionem viderimus, *cucurbitas* adponemus, ut præfecta ſanguiſugarum vulneratione, raptu cucurbitæ detractio compleatur, & olei *fomento* utemur atque *cataplaſmatibus* (r) conſequentibus & vaporationibus: dehinc epithematibus oleo calido infuſis: tunc ſuperpoſitis *ſpongiis* ex eadem materia expreſſis vaporamus. Etenim *ſaccellorum* ſiccam vaporationem tanquam denſabilem reprobamus.

At ſi major fuerit tumor, ipſam quoque *linguam* ſcarificamus, atque *fauces* & *paulatum* tenui ac longiore phlebotomo. Etenim *locali ſanguinis de-*

(o) excrementorum aliena & ſupervacua fæx.
(p) ſtricturam diſſolventibus.
(q) parcius juſto.
(r) convenientibus, idoneis.

tractione tumentia relaxantur. Tunc post scarificationem mitibus gargarismatibus utemur.

Si declinare passio cæperit, etiam *subunctionibus* faucium, vel interiorum utemur, ut melle decocto: vel medicamine confecto decoctione agrestis malvæ, & fœnugræci seminis, & lini, cum amylo, & melle, & oleo: vel uvæ passæ medio, projecto ac secreto semine, contritis cum pane, vel decoctione lini seminis: vel melle, passo Cretico, quibus incocta sit radix agrestis malvæ, vel alicæ, atque lini seminis pollines.

At si passio perseveraverit, secundo vel tertio scarificationem adhibemus, non solum *gutturi*, vel tonsillarum vicinitati, quam *Græci* anthereona vocant, & nervis majoribus cervicis quos tenontas adpellant, sed etiam *occipitio* & (*s*) *palis*, & (*) *interscapulæ*, quod *Græci* methaphrenon vocant, & *pectori.* Etenim quanquam vehementer loca transvorationis patiantur, cæteræ quoque partes corporis necessario consentiunt. Multi denique non advertentes rationem (*t*) revincendæ passionis, sola *aversione* materiæ purgantes, atque in (*u*) *liquidis* causis ponentes, principaliter ajunt *inguinibus* cucurbitas infigendas, tum *præcordiis*, tum supra *mammas*, cum scarificatione, dehinc *gutturi*, atque *collo*, ejusque partibus.

At si *declinatio* fuerit confirmata, dabimus cibo *pultem*, atque *ova* sorbilia, vel porcinum *cerebrum*, longe (*x*) servantes omne quod fuerit *acre*,

---

(*s*) ωmoplatis.
(*) inter scapulas AMMAN.
(*t*) evincendæ.
(*u*) morbi causam *liquidis* sive *humoribus* tribuentes.
(*x*) reijcientes, fugientes.

ſive immodice (*y*) adpetibile, vel *inurens*, vel *vinoſum*, vel aſperum, aut aridum, vel quod valeat tranſvorationis loca laceſſere. Facile etenim paſſio ex occaſione parva recurrit. Adponenda etiam *cerotaria* ex oleo dulci, aut Cyprino, vel gleucino, aut irino confecta, vel malabathrino, cum radice hibiſci. Tunc *lavacro* utendum, ac deinde *vino*.

(*y*) aperibile ecſtomωticum; infra apertibile *l.* AMMAN.

CAPUT IV.

Quomodo Synanchicos aliarum ſectarum principes curaverunt.

ANtiquorum HIPPOCRATES libro, quem ad ſententias (*) *Cnidias* conſcripſit, ex utroque oportere inquit brachio *ſynanchicos* phlebotomari. Sed hoc erit evitandum. Siquidem coacervata ſanguinis effuſio, animi faciat defectionem, & propterea prohibeat tantum detrahi, quantum ſufficiat ad relaxandum ſtricturam. Dividit etiam *venas ſub lingua* conſtitutas, quod eſt non ſolum *inutile*, verum etiam *noxium*. Siquidem incongrua ſit ex locis patientibus ſanguinis per venas detractio. Plurima etenim in exitum provocata materies confluens, neceſſario completis locis abſtenta, modum ſuperat detractionis, ut gravatæ partes potius adventu, quam relevatæ receſſu materiæ videantur. Dehinc (*a*) ſublevandarum venarum cauſa erit

---

(*) i. e. libro de victu.
(*a*) elevandarum.

laqueus collo circumdandus, & tunc maxime, quando ſine ullo manifeſto tumore *ſynanchica* fuerit paſſio. Laqueus autem, quod præfocationem augeat, nulli dubium eſt. Quinetiam ſanguinis fluorem ex ſupra dictis venis difficile poſſe abſtineri perſpicitur. Neque enim aliqua conſtrictiva adhibere ſine ullo periculo poterimus, neque diviſa colligare erit cuiquam poſſibile. Eſt etiam naturale tumentia loca poſt diviſuram in fluorem ſanguinis facile devenire.

Utitur quoque *gargariſmatibus* calidis, atque *vaporationibus* quomur materiam non enarravit. Dehinc *caput* corradi, & jugiter vaporari jubet *ſpongiis*, tunc contegi *cerotario* atque *lana*. Potum dat *aquam* calidam & *mulſum*. Paſſione declinante *ſucco* cibandos dicit, cujus ſpeciem non enarravit: neſcius etiam, quod in pleriſque *declinatio* poſt quinque dies, vel ſex adveniat, & ſit *immodica* uſque ad ejus initium cibi *abſtinentia*. Vaporare vero oportet, ſed non *caput* magis, quam *colla* atque *gutturis* exordium, quod *Græci* anthereona vocant. Tunc poſt vaporationem fovere, atque *cerotarium* declinante paſſione adponere. Item neque *potum*, quantum dandum, vel quomodo, vel quando, manifeſtavit.

Præterea ſecundo libro de morbis, clyſterizandos inquit, atque *purgativis* medicaminibus relevandos, quæ *Græci* cathartica vocant; quorum ex acrimonia magis tumentia provocantur.

Phlebotomari quoque ex locis ſub *mamilla* conſtitutis, noxium atque putidum judicamus. *Noxium*, ſiquidem plurima oportet corpora dividi, cum neque facile ſub viſum venæ devenire poſſint. *Putidum*, ſiquidem ſine ulla difficultate ex *brachio* poterit ſanguinis adprobari detractio. De-

hinc jugis atque (*b*) coacervata materiarum detractio, clysterum & purgativorum medicaminum, & phlebotomiæ, vexabilis esse perspicitur.

Item si plurima (inquit) *præfocatio* occurrerit, clysteris *aulisicum*, quem nos tibiam dicere poterimus, *faucibus* inquit immitendum, incendens *hyssopum*, *sulphur*, *bitumen*, quorum rapere odorem præcipit ægrotantem per eandem fistulam: quorum sine dubio promptus est error. Nititur enim immittere *fistulam* faucibus, quæ neque *aerem* tenuissimum percipere possunt, vi passionis oppressæ. Dehinc austero *fumo* ægros implendos existimat, quo sæpe etiam sani præfocatione adficiuntur.

Ultimo etiam ex duobus *brachiis* atque venis *sub lingua* constitutis sanguinem detrahendum probat, quod supra damnantes (*c*) frustravimus. Non enim sine multa corporis vexatione fiet.

DIOCLES vero libro, quo de passionibus & causis & curationibus scripsit, *sanguinosos* inquit homines ex *utroque* brachio phlebotomandos. Eos autem qui *minus* sanguinis habuerint, solum scarificandos. Tum *felle* taurino cum herba *pedicular*i, quam σάφιδα ἀγρίαν vocant, & *nitro*, & (*d*) *cocco Cnidio*, jugiter inquit ungendos, utens etiam *gargarismatibus* iisdem. Dat quoque sub lingua *piper* continendum, vaporans *spongiis* collum, & *cerotariis* contegens, præcipiens ægrum tenuandum, ultra quam fas est.

Neque nunc *solos* phlebotomandos *sanguinosos* probamus, sed *omnes* passione adfectos, permit-

---

(*b*) simultanea.
(*c*) frustra fieri probavimus.
(*d*) semine chamælææ.

tentibus viribus, neque ex *utroque* brachio, ut ſupra docuimus, neque acerrimis utendum unguentis, & gargariſmatibus, ſicut neque in tumoribus oculorum ſimilibus inunctionibus. Etenim *ſtaphiſagria* etiam ſanos plerumque *ſynanchicos* fecit, quum repente (*e*) inflationem *faucium* fieri cogit. Dehinc omnino neque tenuari, deducendo corpus, ſive ejus habitudinem, convenit medicinæ, ſed relaxare tumentia rebus congruis ac remiſſivis.

Item PRAXAGORAS quarto libro curationum, *ſynanchicos* clyſterizat, & ſudoribus provocatis (*f*) deducit, aliquando etiam phlebotomat, dans quoque medicamen vomificum, quod *emeticum* adpellant. Tunc *uvam* præcidit, vel aliquando (*g*) dividit, & pice lenta vulnera curat, ſed horum judicium ex aliis accipiendum probamus. Nam *vomitus* ingens diſtentione & præfocatione ſæpe peremit. Dehinc tumens *uva* laxatione indiget, non amputatione, ſicut neque aliæ quoque corporis partes, quæ neceſſario erunt mitigabiliter relaxandæ.

ERASISTRATUS ſecundo libro *anatomicorum* de ſingulis paſſionis ſcriptio, in quibuſdam inquit *ſynanchicis*, vaporatione utendum ſpongiarum, atque cataplaſmatibus, & ex vino medicamen tranſvorandum quod catapotium adpellavit, ex caſtoreo confectum: ſed omnia *peccanter*. Etenim *vinum* conſtringit: *Caſtoreum* vero acerrimæ eſſe

---

(*e*) inflammationem.
(*f*) extenuat, emaciat.
(*g*) ſcarificat.

virtutis nemo negat, quæ indubitanter ſunt tumori contraria.

HEROPHILUS de ſynanchicis nihil dixit.

ASCLEPIADES vero ſecundo libro celerum vel acutarum paſſionum inquit: *ſynanchicis* convenit *ſanguinis* detractio atque *ventris* depurgatio, & *cataplaſma*, & *oris* collutio, & *gargariſmata*, & *ſuperunctiones* tenuabiles, atque (*h*) *apertibiles*, ut ſunt ex hyſſopo, origano, & thymo, & meliloto, abſinthio, fici coctione, nitro, ſtaphide agria, centaurea, elaterio, felle taurino, (*i*) cedria, adjiciens etiam *cucurbitæ* uſum cum ſcarificatione. Negans quidem (*k*) quicquam poſſe ſanguinis elicere, ſive, inquit, quod cum febribus ſit paſſio, ſive quod major cauſa ſit tumentium partium, quæ contrario raptu ſuperet cucurbitæ fervorem, ut non poſſit efficere detractionem.

Tum *phlebotomiam* probat ex fronte faciendam, vel angulis oculorum, vel venis, quæ ſub lingua ſunt, vel e brachio. At ſi major (inquit) paſſio fuerit, (*l*) dividendæ ſunt *fauces*, hoc eſt *tonſillæ*, & partes ſupra uvam conſtitutæ: etenim (*m*) ſumma eſt in his æqualis ſive par inciſura, quam adpellavit (*n*) *homotomiam*. Dehinc a veteribus probatam adprobat (*o*) arteriæ diviſuram, ob reſpirationem faciendam, quam *laryngotomiam* vocant, varie ac multipliciter peccans. *Omne* etenim

---

(*h*) aperibiles.
(*i*) *ſubint.* reſina.
(*k*) quidquam poſſe cucurbita ſanguinis elici.
(*l*) ſcarificandæ.
(*m*) ſummi auxilii.
(*n*) homoiotomiam.
(*o*) *ſubint.* aſperæ.

quod acre fuerit, atque tenuans, incendit humorem. Ipse denique in *phreniticam* venturos passionem multa inquit adfici materie, ad hæc ejusdem acrimonia. Est etiam noxia & patientibus locis *phlebotomia*, sicut supra docuimus. Item *clysteribus* utendum ob avertendam materiam, vel avocandam a locis patientibus, inconsequenter jubet.

Est enim *contrarium* detractioni per venas ex patientibus locis faciendæ; quam ipse probavit.

Item *inordinaliter* scarificandum primo, dehinc phlebomandum judicavit. Etenim (*p*) *locales* detractiones insidente atque (*q*) infirmata, & stante passione, adhibendas reprobamus. Est etiam *inexerciti Medici* ob febrium causam suspicari materiam raptu cucurbitæ non elici. In usu enim videmus, sine ullo impedimento in febricitantibus effectum cucurbitæ provenire, atque eductam detrahi materiam. Adducitur namque *caro*, & *spiritus*, & *sanguis*. Dehinc neque crescente accessione cucurbitas infigimus, tempore, quo ad (*r*) altiora materia conducitur. *Est* præterea *tumentium partium molestissima atque periculosa divisura.* Vehementes namque sanguinis effusiones efficit, & quæ prohiberi minime possint. Si enim easdem *constringere* voluerimus, celerrima *præfocatio* consequetur: at si abstinere neglexerimus, celerior mortis effectus sanguinis effusione perspicitur: vel si forte sanguinis fluorem effugerit quis, *cancrum* (*s*) atque *gangrænam* non effugiet, ob augmenta tumoris.

(*p*) i. e. ex loco adfecto.
(*q*) confirmata.
(*r*) partes perfundiores.
(*s*) sive.

Nos enim naturali habitu conſtituta cum dividuntur, quanquam conſtrictive tractata ſæpiſſime tumeſcere videntes, in tumore conſtituta cum diviſa fuerint; at ſi conſtringendi caruerint facultate, vehementius in tumorem venire, deſperare poterimus. Nam omnino tanto *tumore*, in quo *digitorum* immiſſio (*t*) improba eſſe perſpicitur, atque *cataplaſmatum*, & *gargariſmatum* uſus (*u*) æger atque difficilis ægrotanti videtur, quomodo non altiorum diviſura inimica ſaluti probatur.

Eſt etiam *fabuloſa* arteriæ ob reſpirationem diviſura, quam *laryngotomiam* vocant, & quæ a nullo ſit antiquorum tradita, ſed (*x*) caduca atque temeraria AICLEPIADIS inventione adfirmata: cui, ne nunc occurrentes, latius reſpondere videamur, aut tantum ſcelus anguſta oratione damnemus, libris quos de adjutoriis ſumus ſcripturi, reſpondebimus.

THEMISON vero ſine febribus acutas paſſiones recte curare ASCLEPIADEM *probans*, huic accuſationi ſubjicietur.

SERAPION primolibro curationum, *clyſteribus* ſynanchicos evacuat, atque *phlebotomia*, & *cataplaſmatibus*, & *unguentis* acrioribus utitur, & provocativis, & apertivis, quæ (*y*) *anaſtomotica* adpellant. Præcavet autem in omni abſtinentia cibum vel potum dare. Sed eſt etiam hic facile accuſabilis. Etenim acria atque tenuantia excitare tumorem nemo dubitat: phlebotomia vero adjecta clyſteribus vexabilis eſſe perſpicitur. Dehinc di-

---

(*t*) laborioſa, moleſta.
(*u*) gravis.
(*x*) ſine ratione.
(*y*) ἀναστομωτικά.

cens (y) *materiarum* nomina, ea ex quibus *adjutoria* conficiuntur ſcribere neglexit. Cum nullo alio quolibet adjutorio minus utilis *cibatio*, *potus* probentur, arte adhibita, atque formata.

HERACLIDES *Tarentinus* 3. libro curationum, de internis ſcribens, eos, inquit, qui ſanguinis *multitudine* vexantur, clyſtere præpurgatos *phlebotomamus*, nunc ex *brachio*, nunc ex venis quæ ſub *lingua* ſunt: vaporationibus *ſpongiarum* admotis collo atque gutturi, ex aqua calida, in qua fuerit præcocta *ruta*, vel *pulegium*. Tunc *cataplaſma* adponendum probat quod ὦμον λύσιν adpellamus, ex mulſo confectum, cui erit admiſcenda chamæpitys, vel iris Illyrica, aut ficus. Nocte vero, inquit, *cerotarium* adponendum ex irino oleo, atque reſina juſta parte in comparationem ponderis ceræ.

In his vero quibus (z) *locorum* craſſitudinem ſuſpicatur, ungendas inquit fauces *melle* atque *omphacio*, & gargariſmate utitur mulſo in quo præcoquit ficum, vel origanum, & admiſcet *piper*. Dat etiam *elaterium* in pondere *denariorum* ſeptem. Multis vero *obolum* dimidium cum melle & aqua, aut mulſo. Dehinc medicamen quod adpellavit *emeticon* vomificæ virtutis, & conficitur hoc modo: *Origani*, atque *heracleotici panacis*, manipulum accipiens, demerge, inquit, in vaſculum rubri æris, tum *rhus* quod adpellamus *rubrum*, heminas quatuor, atque *cepulas Germanas* viginti, quibus circumtollemus exteriorem corticem, & has quaſſantes immittemus. Tunc infundemus *vinum*

(y) medicinarum.
(z) ſuccorum.

uum Chium, vel *Rhodium*, aut *Cnidium* quatuor heminis, & ſub ſole ante ortum caniculæ viginti diebus, atque poſt ortum viginti diebus, ponemus. Tunc cum fuerit liquor inſumptus, infundemus alias quatuor heminas, atque ita ſub ſole linquimus. Tunc iiſdem diebus mittimus medicamentum in pilam, & conterentes formamus *trochiſcos*, quorum majores erunt drachmarum ſingularum, & dimidiæ. Alii vero drachmarum ſingularum: item alii dimidiarum drachmarum: ſingulos dabimus, virium comparationi congruos, cum mulſo, vel pro (*aa*) *eclectario* cum melle. Etenim *vomitum* humoris viſcoſi hoc efficit, & *ventrem* deducit. Aliqui, inquit, etiam *melanteriam* admiſcent, & *thapſiæ* (*bb*) ſuccum obolos tres. At ſi *difficilis* fuerit *vomitus*, penna oleo veteri intincta, atque faucibus immiſſa provocandum probat.

Utitur etiam aliquando medicamine ex *omphacii* ſucco, & *elaterio* confecto, atque *diagridio*, cum nigro *helleboro*, & *ſale*, ſi fuerint in vomitum difficiles ægrotantes: vel *elaterio* cum *aceto*, & *ruta* & rurſum *elaterio* cum *ſinapi*, & *ſalibus*.

Eos inquit, qui (*cc*) *perfrictione* ſynanchici fuerint effecti, phlebotomari prohibemus, atque clyſteribus depurgari, cæteris vero omnibus ex qualibet cauſa ſynanchicis effectis, erunt hæc adhibenda: fulciendos etiam omnes judicat vel nutriendos *ſola aqua*, vel *mulſo*, cætera quoque ciborum prohibet.

(*aa*) electuario.
(*bb*) ſucci.
(*cc*) ex ſuſcepto frigore.

Sed hoc omne experimentum ſive tentatio (*dd*) promptiſſime ex (*ee*) occultis ſuſpicionibus videtur eſſe proviſa. Etenim (*ff*) *empiricus* ſolam (*gg*) ſervationem intuens, quam τήρησιν vocant, *ſanguinoſos* (*hh*) nunc phlebotomandos exiſtimat, non advertens (*ii*) omnes *ſynanchicos* ob ſtricturæ vehementiam oportet phlebotomari (*) promittentibus viribus. Denique ridendum eſt etiam, quod eos, qui ex perfrictione *ſynanchici* fuerint effecti, phlebotomandos negat, non advertens *præſentia*, & inquirens factorum *cauſa*. Noxia etiam ſunt *cataplaſmata*, quæ adhibenda probat, atque *vaporationis* genus, acrimoniæ cauſa earum ſpecierum, quas admiſcendas jubet: ſiquidem ſint incendioſæ. Item *vomifica*, quæ emetica adpellat, etiam non tumentia in tumorem faciunt devenire. Etenim *ferulago*, quam thapſiam adpellant, ſufficiens eſt etiam (*kk*) *putredinem* partium quas adtigerit facere, atque (*ll*) *inflare* naturali habitu conſtitutas. Non aliter etiam illa, quæ conficiuntur ex *cepe*, & *omphacii* ſucco, & *rhu* rubro, vel horum ſimilibus. Item oleum vetus acre eſt. Illa vero, quæ *cathartica* adpellat, per clyſterem adhibenda, quæ nos purgativa vocamus, turborem magnum faciunt, atque ſtomachum vexant, & cætera quæque nervorum. Eſt

---

(*dd*) facillime.
(*ee*) dubiis, & incertis, non manifeſtis & apertis.
(*ff*) SERAPION vel HERACL. Tarent.
(*gg*) obſervationem.
(*hh*) tantum.
(*ii*) quod.
(*) permittentibus AMM.
(*kk*) uredinem AMM.
(*ll*) inflammare.

præterea iners, tempus dandi cibi non definire.

Nostræ etiam *sectæ* quidam adhuc veterum errore detenti, insuetas graves materias adhibendas probaverunt. Nunc *urinam* sive *fimum* humanum cum *melle*, & *myrrha*, atque *ruta*: nunc *centauream*, & *absinthium*, & *abrotanum*, & *thymum*, & *aristolochiam*, & *thymbram*, quam nos satureiam dixerimus, & *sinapi*: nunc *Pythagoricum* atque *Isyperium trochiscum*, nomine inventoris adpellatum: nunc POLYIDÆ *spibragida* quam adpellant, atque (*mm*) constrictiva, tum unctiones & cerotaria ex unguentis *sampsuchi*, atque *roris marini*, quorum singula tumoris sunt provocativa ob *fervoris* nimietatem, atque deficcandi virtutem, & (*nn*) recorporandi, cum sit *celeritas* passionis, ac simplicibus curanda (*oo*) *virtutibus*.

(*mm*) districtiva.
(*nn*) τοῦ μετασυγκρίνειν.
(*oo*) medicamentis.

CAPUT V.

De Apoplexia.

Apoplexia dicta est, quod tanquam ex lethali *percussu* repentinum faciat casum. Est autem oppressio sæpe sine febribus, repentina, & quæ sine febribus sensu privet corpora, & semper celerrima, & nunquam tarda esse probatur. Sed ejus antecedentes *causæ* communes cum cæteris esse accipiuntur, magis tamen jugis *adustio*, & *perfrictio* vehemens, & *indigestio* frequens, lavacris excita, usus etiam *veneris*, & magis in *senibus*. Item

vulneratio (*a*) *membranæ*, in pueris vero etiam vehemens (*b*) *ſaltus* membranæ cerebri.

Quibuſdam igitur ante caſum, nullum prævidetur *ſignum*: quibuſdam vero præcedunt quædam ſignificantia paſſionem, ut *gravedo*, vel dolor capitis, aut *vertigo*: aut aurium *tinnitus*, & in ſolitos uſus difficilis motus: vultus mœſtitudo (*c*): *ſaltus* membrorum, & magis præ cæteris partibus *labrorum*: tremula *loquutio*, & veluti minus expreſſa, aut interruptio proferendi ſermonis, ſine ulla ratione: vel *oblivio* mox dictorum: vultus etiam plenitudo: egeſtionum difficultas. Sed hæc communiter antecedunt, vel præeunt etiam his, qui in *epilepſiam*, vel *furorem* venturi videntur.

Irruente paſſione *vocis amputatio* ſequitur, & *mentis oppreſſio* ex repentino caſu, *immobilitas* perfecta totius corporis, atque *conductio* vultus: quibuſdam etiam ſuſpenſio *palpebrarum*, atque *oris* hiſcens diſtantia: *pulſus* denſus, & quadam perſecutione fugatus: articulorum gelidus torpor: parva reſpiratio: *color* plumbeus, atque involuntaria lachrymatio.

Pejorante paſſione atque in *exitium* ægrotantis creſcente, *vultus* adductio, ita ut longior nota videatur imago: *præcordiorum* prominentia, atque totius corporis frigidus torpor: *pectoris* ſtridor, & ſuperiorum partium *ſudores* frigidi: immobilis etiam & ſuper ſuſpenſa palpebrarum ac ſuperciliorum poſitio.

At ſi paſſio fuerit levigata, & in *ſalutaria* devenerit ſigna, corporis fugabitur *torpor*, atque fri-

---

(*a*) meningis quæ cerebrum tegit.
(*b*) ex ictu vel caſu.
(*c*) palpitatio πάλμος.

gus redeunte *fervore:* partes etiam quædam *salui* errante movebuntur, in his qui omnino caruerant: diſtillatus humor *faucibus* tranſvoratur, quanquam difficile, nec tamen (*d*) priſca interceſſione impeditur. *Punctus* etiam vel *inclamatus* ægrotans palpebram movet, atque *labia* conducit, ſignificans ſeſe audire vocantem poſſe: & univerſali dicto, quod *Græce* catholicon vocant, quidam prima die *moriuntur*, quidam duobus, vel tribus diebus *ſupervivunt.* Alii vero *ſalvantur*, quorum alii ſtatim ſeſe reſumunt, alii *paralyſi* partis, vel partium corporis vexantur. Item quidam parva (*e*) *converſione mentis* adficiuntur, ut aut alienentur, aut triſtes, & ſomnioſi videantur, ut ſi eos quiſquam e ſomno excitaverit, aliquid alienum loquantur.

Eſt autem paſſio *ſtricturæ*, atque celer & *acuta*, & vehemens, & in *ſenibus* abundans, & *hyemis* tempore & autumni fine. Vocatur etiam a quibuſdam *paraplexia.* Vehementius autem in iſta paſſione patitur *caput*, ſicuti conjiciendum ex his quæ antecedunt, atque corporis oppreſſione. Et ſunt *difficiles curationes* fortium hominum. Debiles etenim oppreſſionibus magis ſuperantur, atque ferre majora adjutoria minime poſſunt. Hinc etiam *feminas* ſpecialiter difficilius viris curari perſpicimus, atque *ſenes*, & *pueros*, à perfectis ætatibus, & *tabidos* magis, quam qui habitudine vigent. Item eos, qui *prætacti* fuerint ægritudine, magis, quam qui nulla fuerint morbi contagione ſauciati. Adjuvat etiam difficultatem *hyems*, non

(*d*) æque moleſta ac prius.
(*e*) perturbatione.

ſolum quod corpora denſet, verum etiam quod quibuſdam adjutoriis (*f*) oppugnet, ut geſtationibus (*g*) liberis, ac nudis.

Similis autem ac vicina eſt apoplexiæ *lethargia*, *epilepſia*, matricis *præfocatio*, ſecundum aliquos, & *paralyſis*, & gravatio, quam Græci *Caron* adpellant, & (*h*) diſſolutio. Diſcernitur ergo a *lethargo*, ſiquidem omnis lethargus (*i*) in *febrem*, atque cum febre fiat, rarum habeat *pulſum*, & neque ſemper *ſenſibus* privet: *apoplexia* vero & ſine febribus fiat, & parvum atque denſum faciat pulſum, & repentinum tanquam ex lethali percuſſu faciat caſum. Item quod ex membranæ vulneratione apoplexia fiat, (*k*) *lethargia* vero nunquam.

Diſcernitur etiam ab *epilepſia*. Siquidem *epileptici* quidem totius corporis (*l*) *conductione* agitentur, & ſpumas agant, *apoplecti* vero nunquam. Item *poſt acceſſionem* epileptici integro habitu conſurgant frequentius, apoplecti vero *paralyſin* partium ſuſtineant. Item apoplexia acuta atque *celeris* ſemper accipiatur, epilepſia vero etiam *tarda* ſæpiſſime inveniatur.

Item a *matricis* præfocatione diſcernitur. Siquidem non præcedat *capitis querela* matricis præfocationem. Item in acceſſione conducta atque ſeſe ſuſtollens *matrix* inveniatur, in apoplecticis vero hoc nunquam contingat. Dehinc ceſſante acceſſione *apoplectæ* feminæ neſciunt geſta, illæ ve-

---

(*f*) repugnet.
(*g*) non opertis, ut in lectica.
(*h*) cardiaca paſſio ſive ſyncope.
(*i*) poſt.
(*k*) hoc falſum.
(*l*) motu.

ro, quæ *matrice* fuerint præfocatæ, resipiant atque narrent quemadmodum fuerint oppressæ. Item matricis præfocatio *tarda* esse perspicitur, hoc est *chronia*, *apoplexia* vero nunquam.

Discernitur etiam a *paralysi* apoplexia, quanquam idem multis videatur veteribus, ut HIPPOCRATI, & DIOCLI, & PRAXAGORÆ, & ASCLEPIADI Titiensi, & DEMETRIO, & si qui alii præterea. Inquiunt enim *apoplectos* toto corpore vitiatos paralysi, *Paraplectos* vero particulis. THEMISON vero capitis vel in capite paralysin cum mentis impedimento, proprie *apoplexiam* vocat. In aliis vero partibus corporis, sine impedimento mentis, hanc ipsam *paralysin*.

Sed non oportet certare de his ex quibus curationis ratio non sumitur. Solum tamen commemorandum est, quod *apoplexia* celeris atque *acuta* natura intelligatur, *paralysis* vero propria quæ dicitur, *tarda* semper intelligatur. Item (*m*) gravatio & (*n*) dissolutio inter (*o*) resumptionem veniunt, & nunquam præcordia suspendunt, & neque difficultatem resurgendi ut (*p*) alii, faciunt.

Curationem vero principaliter *apoplexiæ* nullus nobilium priscorum tradidit. Siquidem *paralysi* generaliter hanc putent adscribendam. Solus HIPPOCRATES ait, (*q*) *apoplexiam* vehementem solvere impossibile, imbecillem vero non facile. Item aliarum *sectarum* successores *aceto* atque *oleo* caput fovent, cæteras autem partes corporis *vino*, &

(*m*) κάρος.
(*n*) κατάλυσις.
(*o*) iis qui ex morbo convalescunt.
(*p*) Apoplexia.
(*q*) Aphor. 42. sect. II.

oleo, lanis contegentes rudibus, atque intrectatis. Secundo ſtudioſe caput fovent, admiſcentes *hederam*, vel *ſerpyllum*, aut *peucedanum*, quorum fugienda eſt acrimonia atque conſtrictio.

Adhibenda eſt igitur paſſioni congrua *curatio*. Nam locandi ſunt ægrotantes loco *lucido* mediocriter, atque *calido*. Utendum etiam *articulorum* blandi tactus (*r*) continentia, atque limpidæ lanæ tectione mediis partibus capitis, & collo. Adhibenda etiam olei *fomenta* dulcis, atque calidi, & expreſſa ex aqua calida *ſpongia* vultus circumtegendus. *Potus* dandus aqua calida, vel mulſum diſtillandum ſenſim faucibus.

Adhibenda etiam *phlebotomia*, non neceſſario exſpectata *diatrito*, dimiſſionis tamen tempore, vel circa primæ lucis exortum, cum ex aliqua parte corporis frigidus torpor viſus fuerit egelari. Etenim qui prius quam hæc proviſa ſunt, in materiæ detractionem feſtinavere, latenter acceſſionis tempore decepti, phlebotomiam adhibent, vel certe jam exſpirantes ægrotos phlebotomando, nihil prodeſſe potuerunt. Siquidem neque materiæ fieri potuerit exitus, cum corpus (*ſ*) deſertum exitum ſanguinis negat, quanquam diviſa venula videatur.

Adhibenda etiam *abſtinentia*, uſque ad primam diatriton: tum *unctio* calida; atque ſpongiarum calida expreſſarum *vaporatio*, & *ſorbilis* cibus, vel *panis* aqua calida infuſus, vel mulſo. At ſi ventris officium non ceſſaverit, *clyſter* ſimplex adhibendus, cum *cucurbitæ* adpoſitione cum *ſcarificatione*, tempore, quo ſæpiſſime docuimus, *occipi-*

(*r*) contrectatione.
(*ſ*) viribus deſtitutum.

tio atque omni *ſpinæ* : ſpongiarum vaporatione utendum, & *cataplaſmatibus* laxativis, tum *radendum* caput totum, & multis partibus ejus cucurbitæ ſimiliter adponendæ, & uſque ad declinationem paſſionis, *alternis* diebus cibus dandus: vel ſi viribus fuerint ægrotantes fatigati, erunt quotidie nutriendi.

At ſi paſſio declinaverit, *cerotaria* adponenda, & in oleum, vel in calidam & oleum deponendum, atque fovendum corpus. Tum *varius cibus* dandus, adjectis oleribus, tunc piſcibus, & volantum carnibus: dehinc etiam *lavacrum* adhibendum, atque *pomorum* quicquam dandum: dehinc *vinum*. (*t*) Servandus etenim magis eſt ſupradictorum connatus atque coacervatus uſus, ob paſſionis difficultatem. At ſi quiſquam ex *apoplexia* liberatus aliquas corporis partes paralyſi (*u*) *vitiaverit*, harum curationem ex libris, quos de *tardis* paſſionibus ſcribentes docebimus, ſumendam jubemus. Eos vero, qui *membranæ* vulneratione in hanc paſſionem cadunt, ita curandos monemus, ut inferius demonſtrabimus.

CAPUT VI.

De conductione, quam Græci Spaſmon vocant, & diſtentione, quam Tetanon adpellant, & earum ſpeciebus.

CONſequens eſt de *conductione* atque *diſtentione*, & earum ſpeciebus dicere. Utraque igi-

---

(*t*) vitandus.
(*u*) vitiatas habuerit.

tur paſſio ab *accidenti* nomen ſumpſit, *conductio*, a conducendo atque contrahendo: *extenſio*, ab extenſione patientium partium. Sed ejus ſpecies ſunt, *emproſthotonia*, & *opiſthotonia*, quas nos pronum raptum, atque ſupinum adpellare poterimus, alterum ab eo, quod in *anteriora* conductionem facit, alterum quod ad *poſteriora*.

Sed antecedentes *cauſæ* ſupradictarum paſſionum, ſunt hæ; *percuſſus* majorum nervorum, quos *tenontas* adpellant: vel ſupra ipſos jacendi jugis poſitio, duris incumbens ſuppoſitis: vel grave quicquam cervicibus impoſitum: vel *meracum* potum, aut profunda (*a*) *perfrictio*: aut, ut ſæpe contingit, *vulneratio* nervorum, vel muſculorum, atque *vinum* iiſdem vulneribus manentibus potum, vel (*b*) *frigidum*, & magis eo tempore, quo ſordibus (*) carentia purgari vulnera videntur, vel in cicatricem venientia, ſæpiſſime *raptus* occurrit. Aliquando etiam celerius, hoc eſt, adhuc *vulneribus* in tumore conſtitutis.

Eſt autem juxta definitionis formam *conductio*, quam Spaſmon *Græci* adpellant, *involuntaria tenſio, atque conductio partium, cum vehementia, & acuto dolore, ob ſtricturæ nimietatem.* Diſtentionem autem, quam *Tetanon* vocant, ASCLEPIADIS ſectatores dicunt extenſionem corporum, (*) ut alii vero partium; neſcii (*c*) quomodo etiam voluntate tendimus quaſdam partes: & in his, qui *ſatyriaſi* vexantur, vel *podagra*, extenſio eſt geni-

---

[*a*] ψύξις frigoris ſenſus.
[*b*] frigidæ aquæ uſus.
[*] ſcatentia.
[*] aut aliquarum partium.
[*c*] quod.

talium partium, vel pedum, nec tamen *diſtentio*, quam *Græci* Tetanon vocant. *Alii* ajunt diſtentionem eſſe *tenſionem muſculorum ſecundum colla*, *atque* (*d*) *buccarum*, quos Siagonitas vocant, *cum tenſione*, *ac dolore effecta*. Alii noſtræ ſectæ ſcriptores pro tenſione (*e*) *concluſionem* vocaverunt, ſub alio nomine id ipſum ſignificantes. Hanc enim *cauſam* paſſionis eſſe voluerunt.

Sed his omnibus communiter reſpondendum eſt, quomodo cauſa a paſſione plurimum differt. Dicendum eſt igitur non quæ *cauſa* ſit diſtentionis, ſed quæ ſit *diſtentio*. Etenim cauſa, ſiquidem ſit occulta (*f*) diſcrepat, atque pro captu mentis ſignorum varia eſſe invenitur. Ea vero, quæ concurrunt paſſioni, hoc eſt conductioni, prompta, atque manifeſta, & omnibus intelligibilia eſſe probantur. Et eſt (*g*) *amandum*, ut vires patiuntur, *ex his quæ non diſcrepant*, *diſciplinam ſi tradamus*.

Secundum nos igitur, diſtentio, ſive extenſio, quam ut ſupra diximus, *tetanon* Græci vocaverunt, eſt involuntaria tenſio, recto atque inflexibili porrecta (*h*) *cremento collorum*, ob vehementem *ſtricturam*, ſive tumorem. *Raptus* vero poſterganeus, quem *Opiſthotonon* Græci vocant, eſt involuntaria colli *retractio*, ob nimiam ſtricturam, ſive tumorem. *Pronus* item raptus, quem Græci *Emproſthotonon* vocaverunt, inclinatio colli in anteriores partes involuntaria, ob vehementem tumorem ſive ſtricturam. Sed *involuntaria* hæc

---

(*d*) buccas.
(*e*) nervorum ſc. & tendinum.
(*f*) varia atque varia eſt: differentias multas habet.
(*g*) Græciſmus ſc. æqui bonique conſulendum.
(*h*) frigida & inflexibili conſtantia.

dicta ſunt, ad diſcretionem eorum, qui voluntate ſua colla hoc ſchemate componunt: ob tumorem autem, ſive *ſtricturam*, ad diſcretionem eorum, qui (*i*) ligationibus *tormentuoſi organi*, eas partes ſic poſitas habent (*k*).

Tentantibus igitur in has paſſiones devenire hæc obveniunt: difficilis *cervicis* motus: jugis *oſcitatio*, & (*) magis (*l*) locis volentibus: ſequitur etiam non ſine dolore *jacendi* poſitio, atque *nervorum* majorum, quos tenontas adpellant, levis *tenſio*, & durities: *punctio* interpellans ex ſpina uſque ad occipitium; atque bibendi difficilis tranſvoratio, contemptibilis tamen: *temporum* dolor & magis eo tempore creſcens, quo hiſcere atque os aperire voluerint patientes: *auditus* gravis: *linguæ* impedimentum, & improm pta loquutio: *ſalivarum* fluor continuus: ſurarum atque veſtigiorum dolidus ſenſus: & ſine ratione veluti *ridens* vultus, cum quadam (*m*) *mobilitate* ſuarum partium.

Adſcendente paſſione, atque erumpente, *diſtentio* dura, & durities partium fit, cum *dolore* vehementi *colli*, atque muſculorum, qui *buccas* colligant: *rubor* vultus, & (*n*) *colligatio* ſupradictorum muſculorum: *dentium* quoque concubitus, hoc eſt, incumbens confixio: ſudor plurimus: *articulorum* frigidus torpor: *pulſus* obſcurus: *extenſio* colli: *ſpiratio* difficilis: *contractio* crurum at-

(*i*) quibus a carnifice torquentur.
(*k*) pronis, declivibus.
(*) maxime locis quibus nolimus.
(*l*) locis in adfectum venientibus.
(*m*) palpitatione.
(*n*) fortiſſima contractio.

que manuum, & infusi & destillati liquoris in os *recursio per nares* fit: quibusdam etiam mentis *alienatio*, cum celerrima spiratione sequitur: gutturis & pectoris *stridor*.

Sed *tetanicis* recto ductu distenta magis videntur colla, atque ita, ut inflexibilia fiant. *Opisthotonicis* vero contractus ad posteriores partes fit, cum nimia tensione, atque dolore *dorsi*, & *clunium*. His etiam crura conducuntur, & neque manus distenduntur: *digitos* conductos atque implicitos habent, ut HIPPOCRATES ait, & majorem digitum, hoc est, *pollicem* cum cæteris tenent, ut frequentius contingit: se quoque continere non possunt, sed quadam mobilitate resiliunt, cum dolor irruerit. Hi sunt *pejores* tetanicis, & omnes (*o*) ab alteris, quoties non sine *vulnere*, sed in vulneribus (*p*) *propriorum* ac salutarium locorum his ægri fuerint adfecti passionibus. *Emprosthotonicis* autem colla conducuntur in *anteriorem* partem, atque *mentum* pectori configitur: tenduntur *ilia*, & præcordia cum frequenti (*q*) delectatione *urinæ* egerendæ, & difficili flexu digitorum.

Liberari vero ex his omnibus difficile ægrotantes, si in *vulneribus* spasmus emerserit, vel si *spinæ* fuerit innata durities. At si sine febribus spasmus irruerit, facilius liberantur. *Febrem* vero secundum (*r*) HIPPOCRATEM in spasmum venientem *salutarem* accipimus, *spasmum* autem in febrem, *perniciosum*: quanquam ejus excludant sen-

---

(*o*) sc. pejores sunt quam alii.
(*p*) principum partium.
(*q*) irritatione.
(*r*) aph. 26. l. II.

tentiam, dicentes quia ſecundum ipſum *febrem* corpora gravant, multo magis geminant incommodum, cum vehementibus doloribus. *Laxat* enim, inquiunt, tumorem naturalis ac *mediocris fervor*: febrium vero acer, & contra naturam *immodicus*, vexat. Quapropter ex minutione eorum, quæ (*ſ*) paſſionis ſunt, ſpem futuræ ſanitatis melius accipimus.

(*ſ*) quæ paſſioni adjuncta ſunt.

CAPUT VII.

Quomodo diſcernimus raptum, quem Græci Spaſmon vocant, a tremore atque ſaltu.

DIſcernens raptum a *tremore* atque (*a*) *ſaltu* DEMETRIUS HEROPHILI ſectaror, in corporibus inquit, *raptu* vexatis, motum fieri per *extenſionem*, atque *conductionem*: in iis vero, qui *tremore* adficiuntur, *agitatione crebra*. Item in his, qui *ſaltu* adficiuntur, levabilem & paſſibilem motum fieri indicavit, & magis in partibus ſenſibilibus, ac nervis, qui voluntario (*b*) motu ſubjecti ſunt: *ſpaſmum* vero etiam in (*c*) colligationibus membrorum fieri ſenſit, & non ſolum in quibuſdam ſenſibilibus partibus, verum etiam in his, quæ ſenſu carent, atque ita inquit, *gaudio* quædam membra ſaltum ſuſtinere, quædam vero nunquam: item *ſenectute* tremorem fieri, non rap-

---

(*a*) palpitatione.
(*b*) motui.
(*c*) in ligamentis.

tum, adſerit. Addendum tamen, (*d*) quomodo ſine ulla diſtentione ſaltus movetur, atque tremor efficitur: cum tenſione autem vehementi, raptus membrorum fit.

Item ſecundum ASCLEPIADEM extenſio atque *conductio* partium tarda & perſeverans eſſe perſpicitur: (*e*) *ſpaſmus* vero breviſſimi temporis, & (*f*) celerrimi *tremor*. Sed ſaltum ab his diſcernentes quidam ASCLEPIADIS ſectatores ajunt, non extenſione vel conductione fieri, ſed *levatione* ac *depoſitione*, quod quidam non conſenſerunt. Etenim ex tanta levatione, inquiunt, atque depoſitione quam ſuſtinent, (*g*) atque levata (*h*) ut depoſita (*), extenſionem, atque incurvationem vel flexum fieri probant. Hos denique motus manuum, quos ita fieri perſpicimus, medium ajunt eſſe *ſaltum* (*i*) raptus, atque tremoris, magnitudine ac diſtantia temporis, jugem extenſionem atque conductionem in *tremore* fieri magis, quam in ſaltu, raram vero in *raptu*: Item *parvam* extenſionem ac conductionem in tremore, *majorem* vero in ſaltu, *ingentem* in raptu. Dehinc nomen quoque dicunt communius atque late diffuſum, quoniam ſaltum ſolemus etiam *cordis* vocare & *arteriarum* motum.

HIPPOCRATES denique inquit *frontis* venas ſaltum ſuſtinere, cum neque tremor in his partibus

---

(*d*) quod.
(*e*) motus ſpaſmodici.
(*f*) ſc. temporis.
(*g*) æque.
(*h*) ac.
(*) eaque levata aut depoſita AMM.
(*i*) inter raptum & tremorem.

fiat. Eſt enim paſſio nervorum. Sed his reſpondendum eſt, oportere etiam venas atque arterias & raptu vexari, atque tremore adfici, quantum in ipſis eſt. Siquidem etiam motus earundem partium alios atque alios fieri magnitudine atque temporis diſtantia differentes videamus.

CAPUT VIII.

De Curatione.

ÆGrotantes jacere oportet *loco* ſufficientis magnitudinis, *lucido* mediocriter, atque *calido*, nullo etiam *odore* infecto, mollibus atque calidis ſtramentis. *Prima* enim *celeritatis morborum mitigatio eſt ſtraminum mollities.* Dehinc *ſine cibo* facimus ægrotos durare uſque ad primam *diatriton*, ſi vires permiſerint, ſomno cum ſilentio jacentes. Tum *lanis* mollibus, ac mundis, *oleo* dulci & calido infuſis, colla circumtegemus, & buccarum muſculos, quos *ſiagonitas* vocant, & majores nervos cervicis, *tenontas* adpellant: tum clunes, atque omne quod doluerit. Sed (*a*) ob permanentem fervorem, erunt extrinſecus adponendi *ſaccelli*, vel cujuſquam materiæ vaporationes, aut *veſica* oleo calido repletæ, aut *panni* calidi, aut, ut ſupra dictum eſt, ſaccelli *lini* ſemine torrido pleni, vel (*b*) *cantabro*, fervente aqua & oleo decocto. *Articulos* quoque manibus tumentes calefacimus,

---

(*a*) ut permaneat fervor lanæ quæ admota eſt.
(*b*) furfure.

lefacimus, & *sudorem* ob pressuram ac turborem venientem pannis calidis excipimus. Frigescit enim (c) permanens, & consensu partium passionem geminat.

At si vehementes fuerint dolores, erit adhibenda *phlebotomia*, dimissionis tempore, atque ante tertium diem, si passio coegerit: si minus in ipsa *diatrito*, aut post ipsam, viribus permittentibus. Tunc colluere aqua *calida* permittimus, & potum accipere. In ipsa vero *diatrito* oleo dulci atque calido, & mulso corpus omne perungemus. Ora etiam aqua calida foventes, tunc cibo nutrimus *sorbili*, aque tenui, ex *alica* vel *amylo*, aut *pane* ex mulso, vel pane insuccato ex eodem mulso. Oportet enim etiam cibum ebibi potius quam masticari, ob dentium conclusionem: quam leviter digitis aperire tentabimus, prohibentes ligneos, ut plerique adhibent, cuneos. Etenim quassationem partium atque indignationem faciunt, toto tempore cibi sumendi permanentes.

Tum cæteris diebus ea quæ fovimus, *cataplasmatibus* curamus: dehine etiam *spinam* totam cum *lini* seminis polline, & *fœnugræci* semine, singularibus, vel commixtis ex aqua mulsa, cataplasmamus, superponentes extrinsecus quicquam de supramemoratis calefactionibus, quo possint cataplasmata multo tempore calida permanere. Item per *clysterem* oleum calidum injicimus: vel calidam & oleum: aut aquam in qua fuerit decoctum semen *fœnugræci*, vel radix agrestis *malvæ*. Simul enim & stercora detrahimus præminentia, & tumentes partes fovendo relaxamus. Utimur præ-

(c) i. e. non detersus sudor.

terea *cucurbitis*, & magis cum paſſio ſumſerit ſtatum: ſed in *acceſſione*, levibus: in *dimiſſione* vero, etiam ſcarificatione adjecta. Erunt autem infigendæ *occipitio*, & *collo*. Sed aliquando ante impoſitas cucurbitas, expreſſas *ſpongias* ex aqua calida, oleo, aut decoctione fænugræci, aut lini ſeminis, aut hibiſci adponemus. Apta etenim vehementer ex his vaporatio lenteſcenti liquori ac nervis laxandis (*d*) accipitur, & quæ muſculos buccarum, quos *ſiagonitas* vocant, ſit ſufficiens relaxare. Tunc poſt vaporationem cataplaſmatibus utendum.

Ali qui denique non ſine ratione commoti, etiam teneris & (*e*) exercitis *pellibus* agnorum, vel hœdorum, oleo calido tinctis, atque madefactis, loca patientia vaporaverunt. Damus etiam oleum calidum *ore* continendum, & quanquam omni tempore conveniat, magis tamen cum *cataplaſmata* adponimus hoc probamus faciendum, quo ex interioribus quoque *buccarum* colligatio laxatur, cibum dantes alternis diebus, donec paſſio declinet: ſi vires ægrotantis permiſerint, in iiſdem perſeverabimus, ſolam aquam calidam, vel mulſum calidum, dimiſſionis tempore, offerentes.

Tunc cum ex parte paſſionem *mitigatam* ſenſerimus, *embaſim* olei vel aquæ & olei adhibemus: cujus rationem atque ordinem libris ſpecialium adjutoriorum docebimus. Dehinc quotidianis diebus humaniore *cibo* nutrimus, præcaventes etiam nunc *dura* quæque ac difficilis tranſvorationis dare mandenda, ſed magis *pultes* offerentes, vel *ole-*

(*d*) vero ſimile videtur.
(*e*) paratis.

va, vel *cerebra*, vel *pisces* teneros, & omne, quod facile accipi ac digeri potest: ne ob vehementem masticationem naturales colligationes buccarum, quas *Græci* (*f*) χαλίνας vocant, moveantur.

Erunt præterea loca ipsa, quæ patiuntur *cerotario* curanda ex oleo dulci, vel cyprino confecto. Item *diachylon* medicamento, & quod adpellant MNASEI. Tunc etiam *acopis* utemur, quæ fiunt ex amylo, atque adipe, & ex infusionibus ac decoctionibus fœnugræci, & lini seminis, & his similibus. Tunc *lavacrum* adhibemus, præcaventes aquam frigidam: dehinc dabimus etiam *vinum*, ut sæpe docuimus, qualitate, atque natura, & quantitate congruum.

Veterum medicorum ERASISTRATUS tetanicam passionem non memoravit. HEROPHILUS vero nihil plus inquit, nisi quod vehemens *opisthotonia* rectiora facit ea, quæ nodorum spinæ (*g*) evulsione arcuata videntur, & quod *febricula* irruens passionem solvat. Item SERAPION primo libro curationum sic inquit curandos *tetanicos*, quemadmodum *phreniticos*, quapropter sumendæ sunt contra ipsum responsiones, quas de phreniticis dicentes docuimus: item ex (*h*) his curationem hujusmodi passionis tradiderunt.

HIPPOCRATES libro, quem ad sententias *Cnidias* scripsit, *cerotario* inquit ungendos opisthotonicos, & *aqua* calida eorum crura fovenda. Jacere jubet in *lineis* stramentis, utens ad ventrem movendum collyriis quæ adpellavit (*i*)

(*f*) tanquam earum fræna, & compages.
(*g*) curvatione: *alii* connexione.
(*h*) *subint.* principiis.
(*i*) hodie suppositoria.

balanos, & potionibus ex radice (*k*) *bryoniæ*, & *dauco*, atque *vino* confectis. Offert præterea *farinam* coctam tepentem in partem cibi, ut sæpissime facit, permittens etiam vinum superbibendum, quando voluerint ægrotantes.

Tetanicos vero phlebotomat, non advertens adhibendam vere *phlebotomiam*, sed non solam. Non enim dignum atque sufficiens tantæ passionis unum adjutorium esse probatur. Item *collyria*, sive balani, & *potiones* supra memoratæ, & *vinum* intemporaliter datum patientibus, contrarium atque saluti noxium monstratur. Talia enim tempore (*l*) inportuna nervis officiunt. Item *secundo* libro, quem de morbis scripsit, ait esse aliquando conducibile *tetanico* sive vulnere effecto atque (*m*) *primævo* corpore, & habitudine vigenti, æstatis tempore plurimæ frigidæ ablutionem, siquidem fervorem reclamet ac revocet. Dat etiam nigrum *helleborum* cum pipere, & lacte *asinino* (*n*) carne concocto potat, atque *sternutamentum* commovet.

Mirandum igitur, quod in his, qui tali passione adficiuntur, *frigida* utendum existimat HIPPOCRATES, qui jamdudum (*o*) ait *frigida* quæque esse inimica *ossibus*, *nervis*, *dentibus* & *cerebro*. Sternutamenta etiam commovere tumorem, nulli dubium est. Item asininum lac nulla ratione laxare tumentia probatur. Dehinc stomachum evertit: siquidem sit tetri odoris & saporis. Item

---

(*k*) τῷ μάδῳ τῆς ῥίζης τρίβωνεν οἴνῳ εὐώδει, καὶ δαῦκον πίνειν δίδω.

(*l*) importuno.

(*m*) juvenili.

(*n*) cum carne.

(*o*) Aphor. 18. S. V.

helleborum nigrum nervos obſidet, atque purgando, vel (*p*) deducendo corpus, exagitat.

DIOCLES libro, quo paſſiones atque cauſas, atque curationes ſcripſit; *tetanicis* inquit adhibenda mictoria medicamina, quæ adpellavit *diuretica:* tum *ventrem* deducendum, atque vacuandum: dat etiam bibendum *paſſum* aquatum pueris, vel his, qui ex vulnere in paſſionem ceciderunt. Prohibet etiam *cibum* dari, & jubet ea, quæ paſſione tenduntur, vaporari, & emolliri. Item *tertio* libro de curationibus, ſimiliter *clyſtere* utitur, & *vinum* dulce dat bibendum, adhibens *vaporationes* nunc ſiccas, nunc humectas: & ungit *cerotario*, atque *lanis* patientia contegit loca.

Sed ex his primo *mictoria* veſicam moventia omnes provocant nervos, qui tunc ſummo atque adtento ſenſu (*q*) habitantur (*). Dehinc *clyſteres* acerrimi, adurendo, tumores aſperiores efficiunt, quos adhibendos exiſtimat. Eſt etiam *vinum* repugnans, priuſquam paſſio declinaverit. Et quanquam omne, magis tamen dulce, quod & opportune datum inflat: denique etiam jam ſanos, indigeſtos, atque (*r*) inutiles & (*ſ*) implicitos facit. Eſt etiam profecto peccantius prohibito cibo vinum dare. Item *vaporationes* humidæ ſiccis atque aridis repugnant: & uſus *cerotariorum* ſoli paſſionis declinationi conveniens invenitur.

(*p*) extenuando ac emaciando.
(*q*) adficiuntur.
(*) Agitatur AMM.
(*r*) ſegnes, tardos.
( ) anxios mœſtos.

PRAXAGORAS tertio libro curationum *vaporationibus* utitur, & *clyſtere*, & *vomitu*. Quanta autem vexatio ſit vomitus, arbitror ſuperfluum dicere. Eſt enim etiam impoſſibilis uſus ejus in his, qui neque ad tranſvorandum potum os aperire poſſunt.

HERACLIDES Tarentinus ſecundo libro interiorum paſſionum tetanicos & opiſthotonicos *clyſtere* curat, & præpotat jure gallinaceo & *laſere*, cum primo ſint hæc ventris inflabilia. Item laſeris virtus acerrima, clyſterum vero incendioſa.

Dehinc ASCLEPIADES ſecundo libro celerum vel acutarum paſſionum; incipiente, inquit, dolore, *tetanicos* aqua *calida* fomentamus, *nocte* atque *die* ſcilicet, ut præter incongruæ qualitatis percuſſum, etiam temporis peccato, atque immodicæ quantitatis, dolentia provocentur, quum ſit tunc mitigationis atque blandimenti opportunitas. Interea inquit *ſaccellis* ex milio confectis fovemus, vel (*t*) *cachry*, vel *ſalibus*, quæ quidem ſine dubio ob acrimoniam acutis paſſionibus ſunt contraria, tanquam acre collyrium his, qui acutis doloribus oculorum adficiuntur.

Hic præterea etiam inquit *aridas* vaporationes operantius mederi, quam *cataplaſmata*; non advertens, quia tunc *nervi* ob colligationem tumoris indigent laxamento atque indulgentia. Ex ſiccis autem vaporationibus, ut etiam ipſe confitetur, ſiccantur, & tenuantur, & areſcunt corpora. Convenit etiam (inquit) *cataplaſma* ſimplex, quod ὠμὴν λύσιν adpellant, *pueris* atque *mu-*

(*t*) ſemine roris marini.

lieribus, & *viris*, quorum corpora fuerint (*u*) dimissa, atque melliora, vel tenera, cum potuerit id omnibus conveniens dicere. Quid enim tam vanum atque (ut ita dixerim) ridiculum, quam ob usum cataplasmatum naturam, vel ætates, ac vitæ consuetudinem (*x*) præservare? Dehinc possunt pueriles ætates, vel muliebria corpora non libere educata, neque mollia inveniri: quo fit ut communiter in omnibus utilissimum cataplasmatis adjutorium prohiberi videatur.

Ob (*y*) istius errorem, qui non manifestis intentionibus res advertendo, *falsis curationibus* implicatur, adhibet etiam *clysteres* acerrimos atque vehementius operantes, salutarem putans ex his *febrem* generari, quo raptus, sive adductio materiæ e partibus patientibus ad *intestina* fiat. Quæ igitur major accusatio esse potest acerrimi *clysteris*, quam quod *febrem* facere promittatur? Quid enim utile ex eo sperare possumus, ex quo id perficitur, quod etiam sine tetanica passione grave corporibus existimatur? Probat etiam vehementes (*z*) *fervores* similis acrimoniæ, jubens saccello *sale* pleno aqua calida tincto partes, quæ patiuntur vaporari.

Tunc duobus (*aa*) *cauteribus* alternis sales incendi, ut ex ipsis invadens quædam spiratio penetret altiora. Sed horum acrimoniam jampridem reprobavimus. Idem (*b*) *ignem* plurimum accen-

---

(*u*) laxa.
(*x*) observare.
(*y*) istum.
(*z*) vapores calidissimos.
(*aa*) ferris ignitis.
(*bb*) παρόπτησης.

dens, & (*c*) ſuperponens ægrotantem, omnes *ſpondylos* ſpinæ oleo per diem atque noctem jugiter fricat, at eſt vehementer culpabile. Omnis etenim (*dd*) impreſſio, & *tumentia* provocat & *dolorem* geminat. Item jugiter diem atque noctem id facere jubet, (*) uſu etiam ſanos poteſt quadam vexatione (*ee*) in conſenſum mittere: quippe cum ſæpe in uno latere jacentes, atque eodem tardantes ſchemate, vexemur. Item plurimus *frictionis* uſus denſat: denique etiam in ſerventibus *lavacris* corporis ſuperficies perſtipatur.

Et quid ultra dicam? cum ſit evaporativæ virtutis *paroptesis*, tetanos autem *mitigatione* indigeat, ob celeritatem ſui. Item ait *cucurbitam* utilem magis, quam *phlebotomiam* huic probari paſſioni, niſi (inquit) febres prohibuerint materiæ (*ff*) detractionem: vel in venis plurima fuerit plenitudo. Tunc enim erit phlebotomia adhibenda in ipſa vehementiæ ſummitate. Difficile enim inquit, detractionem fieri *corpuſculorum* poſſe, tempore dimiſſionis.

Sed dicimus contra, neque raptum *cucurbitæ* poſſe febribus cohiberi, ſicut in ipſo ſæpe opere probavimus: neque melior quam phlebotomia, vel (*gg*) prælatior uſus cucurbitæ eſſe poteſt. Etenim in *augmento* phlebotomia locum habet, quo

---

(*cc*) prope adponens.
(*dd*) rudis tractatio.
(*) & ſic.
(*ee*) dolorem in iis per conſenſum excitare.
(*ff*) per cucurbitulas.
(*gg*) magis præferendus.

tempore *cucurbitam* adhibere non licet: neque cucurbitæ tempore phlebotomiam, quo noxia probatur. *Tempus* etiam *phlebotomiæ* illud est, quod etiam aliorum *amputantium* adjutoriorum (*hh*) ut est *dimissionis*, in totius *augmento* passionis: in *accessione* cum *simpliciter mitigantibus utimur adjutoriis*.

ASCLEPIADES autem ob exstinctam falsis intentionibus (*ii*) causam, neque aptum scire potuit phlebotomiæ tempus. Declinante igitur passione ægrotantes nutrit, atque *succis* & *sorbilibus* cibis. Sera igitur si declinatio fuerit, quam exspectandam ob nutriendum putat, aut, ut sæpe contigit, post decem dies effecta, immodica atque *interfectrix* tanta *abstinentia* judicatur. Dehinc, quæ ægro adhibenda sint, docere neglexit, utrumne *piscium*, an *volantium*, vel *quadrupedum*, sed omne genus (*kk*) corruptibile atque inflabile complexus est. Præterea linquens vere *resumptoria* adjutoria, quæ magis fuerant demonstranda, aliena ordinavit.

Hæc sunt quæ ASCLEPIADI respondenda probamus. *Communiter* autem *repudianda est omnis alia* (*ll*) *quæque fuerit acrior materia*. Etenim quidam, sicut CLODIUS ASCLEPIADIS sectator, memoravit *laser*, quem *Græci* opon Cyrenaicon vocant, cera involutum bibendum, tradiderunt. Dant etiam *castoreum* præbibendum, & *ferulagine* cum *euphorbio* colla perungunt, atque spinam.

(*hh*) nempe.
(*ii*) rationem judicium.
(*kk*) nempe succos & sorbilia.
(*ll*) quæcunque fuerit.

Item plerique ſuperficiem vulnerant *ignis* uſtura, & ex *ſinapi* atque fico adhibent cataplaſma. *Alii* frigida fovent, cum nimiam viderint tenſionem, & poſt perfuſionem frigidæ, fricant calidis rebus.

Alii utuntur etiam lauri baccis, & thymo, & origano, & nepeta, & hyſopo, & herba ſalvia, & butyro, & cedria, & herba (*mm*) pulicaria, & ſemperviva: auſi etiam quidam *viſcellum ranarum* dare, quæ omnia prompta atque manifeſta peccata probantur.

Alia enim ob acrimoniam tumorem (*nn*) provocant, ut *euphorbium*, & *ferulago*, & *laſer*, & *ſinapi*, vel his ſimilia: *alia* conſtringendo perfectam ſtricturam (*oo*) contendunt, ut herba *pulicaris*, quam pſyllium vocant, & *ſemperviva*, quam aizoon vocant, & aqua frigida. *Viſcellum* autem ranarum (*pp*) *experimentum* eſſe dicitur, & eſt odioſum, in ſemet nihil habens commodi, quod ratio probet.

(*mm*) Pſyllio.
(*nn*) irritant.
(*oo*) intendunt augent.
(*pp*) nulla artificioſa ratione inventum.

CAPUT IX.

De Hydrophobia.

DEinde *hydrophobia*, quæ nomen ſumpſit ab accidenti. Eſt enim vehemens *timor aquæ*. Nam *Græci* timorem *phobon* vocant, aquam *hy-*

dor adpellant. Ii denique detracta *litera* δ adjicientes γ, *hygrophobiam* vocaverunt, quod omnem (*a*) liquorem metuat: ſed conſuetudo magis primum obtinuit nomen, ſiquidem plus *aquam* timeant ægrotantes, vel quod inter cæteros liquores plurimum aqua præſtet: Alii quoque *phobodipſon* adpellant, quod cum timore ſitiat: POLYBUS *pheugydron*: ſiquidem aquam fugiat. Nos denique *aquifugam* dicere poterimus. ANDREAS *Cynolyſſon* vocavit, veluti ex *rabie canina* morbum conceptum.

Accendens autem *canis* paſſionis eſt *canis rabidi morſus*, velut quidam memorant, cæterorum quoque animalium, quæ ſint ſimili rabie noxia, ut *luporum*, *urſorum*, *leopardorum*, *equorum*, & *aſinorum*. Hominum *hydrophoborum* quidam in hydrophobicam paſſionem devenerunt ſolius *adſpirationis* odore ex rabido cane adducto, cum (*b*) deflectione quadam naturalis ſpiratio vexata *venenoſum aerem* adducit, & (*c*) talibus inſerit partibus. Alii rabidi animalis *unguibus* læſi in rabiem devenerunt. Memoratur denique ſic *mulierem* in hydrophobicam paſſionem veniſſe, cui *facies* fuerit leviter a parvulo *catulo* laceſſita. Quidam a *gallo* gallinaceo pugnante leviter læſus in rabiem veniſſe dicitur. *Sartrix* etiam quædam quum chlamydem ſciſſam rabidis morſibus, ſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, & lingua pannorum futuras lamberet (*d*) adſuen-

---

(*a*) liquorem ægri metuant.
(*b*) defatigatione.
(*c*) principalibus.
(*d*) adſugendo AMM.

do, quo transitum acus faceret faciliorem, tertia die in *rabiem* venisse memoratur.

Est præterea possibile, sine manifesta causa hanc passionem corporibus innasci, cum talis fuerit strictio sponte generata, qualis a veneno. Interea post *morsum* quidam serius in passionem veniunt, quidam tardius. Ideo etiam post annum aut eo amplius adficiuntur, sed magis plures post *quadraginta* dies.

CAPUT X.

Quæ est definitio sive agnitio hydrophobiæ.

EST agnitio hydrophobiæ, *adpetentia vehemens, atque timor potus, sine ulla ratione, ob quandam in corpore passionem.* Adjectum est autem, sine ulla ratione, atque ob quandam in corpore passionem, quod alii timeant potum, ut veneni admixti suspicione, vel arte providentes: quia si intemporaliter sumpserint, periclitabuntur. Neque illico hi ratione timentes, hydrophobi esse vel dici possunt.

CAPUT XI.

Quæ sequuntur eos, qui in hydrophobicam passionem proni ac declives esse videntur.

SEquitur eos, qui in istam passionem proni ac declives esse noscuntur, cum jam prætangi

cœperint, *anxietas* quædam ſine ulla ratione, atque *iracundia*, & corporis *difficultas*, inſolitus motus: *ſomnus* etiam ſuſpenſus, atque turbatus, vel *vigilia*, & ſimul cibi corruptio, *ſtomachi* gravedo, crurum atque brachiorum extenſio, *oſcitatio* jugis, & impigens (*a*) levandi voluntas: inſueta etiam *querela aeris*, tanquam auſtrini, quamvis ſerena fuerit quies: Item difficilis toleratio, atque tædium, & recuſatio imbrium; parva bibendi voluntas contra conſuetudinem.

Obtinente paſſione *adpetentia* bibendi, atque *timor*, primum ad ipſius *aquæ viſum:* ſecundo etiam ſi ejus audierint *ſonitum*, vel *nomen*. Dehinc timor *fomentationis* olei, *pulſus* denſus, parvus, inordinatus: quibuſdam *febricula*, ſaltus *ſtomachi*, torpor atque ſtupor *articulorum*, ſubreptio atque extenſio *præcordiorum* ad ſuperiores partes, & officii *ventris* abſtentio. *Urinæ* reddendæ paulatim frequentatio, *tremor* atque conductio nervorum, *vox* obtuſa & velut *latrabilis*, corporis ſpiræ ſimilis, ſive canina involutio: *ſpiratio* difficilis, (*b*) *jactatio* corporis omnis ad ingreſſum hominum, tanquam ſecum *aquam* adferentium. *Rubor* vultus, atque oculorum, & corporis tenuitas adteſtante pallore, cum *ſudore* partium ſuperiorum; *veretri* frequens tenſio cum ſeminis involuntario jactu: *lingua* prominens.

In ultimo etiam *ſingultus*, & *vomitus* fellis, ac frequentius nigri: quibuſdam etiam (*c*) *timor*: manus (*d*) oculis tenus admotæ, vel circum

---

(*a*) levandi ſtomachum i. e. vomendi.
(*b*) anxia inquietudo totius corporis.
(*c*) tremor.
(*d*) poculis.

tractæ: *quidam* se adgnoscere fatentur esse naturalem vel consuetum *aquæ* liquorem, cum sibi monstratur, sed commoveri cum viderint, ut seipse quoque SORANUS vidisse testatur, in hac passione constitutum sese hortatum liquorem ut sumeret, nec tamen potuisse. Ajunt & *militem* quemdam, ut ARTORIUS memorat, in passione constitutum, sibi indignatum, quia in bello nulla timuerit vice, sed nunc aquam cum vidisset, quæ esse consuetudini jucunda solet, metu inenarrabili terreretur.

EUDEMUS THEMISONIS sectator memorat fuisse *hydrophobum medicum*, qui cum prænosceret periculum, suppliciter ingredientes exoraret, & cum *lachrimarum* fluore guttis destillantibus tangeretur, exiliens vestem consciderit. Dehinc SORANUS memorat, se *infantem hydrophobum* vidisse *ubera* matris expavescentem. Item ait quemdam *Atheniensem* sibi retulisse, quod viderit *hydrophobum* ex domo fugatum ad locum venisse ubi inclusus, corpore (*e*) implicato, vitam finiverit: sed in ipso loco fuisse canem jacentem, quem rabie accensus repente adcurrens momorderit.

Communiter autem est passio *strikturæ*, atque *vehemens*, & *acuta*, vel celeris. Etenim ob nimium tumorem, & humoris defectum ægrotantes celeriter interficiuntur. Nec DEMETRIO danda fides est dicenti, quod etiam *tarda* hæc passio possit esse, hoc est, diuturna, quam *Græci* chroniam vocant, siquidem dicit in ista passione levi (*f*) timore adfectos *biennium* transegisse.

(*e*) canis more convoluto.
(*f*) nempe aquæ.

Neque ASCLEPIADIS ſectatores intelligibile quiddam adferunt, qui propterea paſſionem tardam putant, quia poſt plurimum tempus morſus inflicti, ægri morte adficiuntur. Cum non oporteat illud tempus ægrotanti imputari, quo nondum *rabie* vexatur, quippe cum paſſio necdum corpus adficiat, & cum (*g*) emicuerit, non habeat (*h*) *ſuperpoſitiones*, ſeu dilationes, ſicut qui ſpecialiter tardis adficiuntur paſſionibus, & ob hoc celerrime ægrotantes interficiat, non ſolum ut *acuta*, ſed etiam ut *continua* paſſio.

(*g*) ægrum corripuerit.
(*h*) exacerbationes, per intervalla ſeſe remittens ingraveſcens.

CAPUT XII.

Quæ ſunt ſimilia hydrophobiæ: & quomodo internoſcuntur.

SImiles ſunt hydrophobicæ paſſioni *phrenitis*, *mania*, quam nos furorem, ſive inſaniam dixerimus: ſed hæc diſcernuntur, ſiquidem plus in (*a*) ipſis *caput* patiatur: in *phreniticis* vero etiam febres ſequantur: in *hydrophobicis* vero plus ſtomachus: & *ſine febribus* eſſe perſpiciatur, & acuta atque celeris paſſio. *Mania* vero etiam tarda frequentius inveniatur. EUDEMUS THEMISONIS ſectator inqut *melancholiam* eſſe hy-

(*a*) Maniacis.

drophobicam paſſionem, ſed ab hac quoque diſcernitur. Siquidem *tarda* ſit melancholia, *acuta* vel celeris hydrophobia.

Alii quoque *aerophobos* ajunt eſſe ſimiles ſupradictis, ſed internoſci. Siquidem aeris ſit timor, quod generaliter *phreniticis* adſcribitur. Etenim *phrenitici* quidam aerem *lucidum* extimeſcunt, quidam *obſcurum*. ANDREÆ ſectatores memorant eſſe *pantaphobos*, quos nos omnipavos dicere poterimus, ſiquidem omnia timere dicantur; ſi vere tamen hæc eſſe poterit paſſio. Diſcernitur quidem quod non ſolius potus, ſed omnium rerum timorem faciat.

CAPUT XIII.

Utrumne animæ an corporis paſſio ſit hydrophobia.

QUæſitum etiam utrum animæ an corporis paſſio ſit *hydrophobia*. Etenim quidam eſſe ajunt *animi* paſſionem. Siquidem adpetere vel deſiderare eſt animæ ſpeciale, non corporis. Denique purpuram cupientes, vel ſtatuam, vel militiam, aut regnum, aut pecuniam, neque venis, neque nervis ægrotare dicuntur, vel arteriis, ſed animæ adfici paſſione: quo fit ut etiam *hydrophobia* animæ ſit paſſio. Eſt enim adpetentia potus: quippe cum timor & mœſtitudo & iracundia paſſiones ſint animæ. Timent igitur aquam *hydrophobi*, quo neceſſario animo ægrotare noſcuntur. Nam omnis *phantaſia*, cujus diverſitates *Latini viſa* vocaverunt, ut TULLIUS, ſive illa naturalia ſive

lia ſive contra naturam fuerint, animi non corporis eſſe noſcuntur.

Hydrophobi igitur phantaſia jactantur, ſcilicet ea, quæ contra naturam eſſe videatur: quo adſumitur, eos animi adfici paſſione. Sed his, qui hæc adſuerunt conſentiendum non eſt. Etenim adpetere vel delectari potu, ſicut etiam mandere, ex *corporis* quadam naſcitur paſſione. *Timor* enim per conſenſum animæ corpori compatientis naſci perſpicitur: quo fit ut *corporalem eſſe paſſionem hydrophobicam manifeſte perluceat.* Etenim antecedens *morſus*, ex quo cauſa deſcendit, utique corporis fuit, & non animæ. Antecedentia autem atque conſequentia, ut eſt *ſingultus* & difficilis corporis motus, & *gravedo*, & his ſimilia corporis eſſe noſcuntur. Nam animæ *paſſiones*, ut *philoſophi* volunt, noſtri ſunt judicii: *hydrophobica* autem paſſio ex corporis neceſſitate deſcendit: quo fit, ut ſit *corporis* paſſio, ſed etiam *animæ* occupet qualitatem, tanquam in *furioſis* vel *melancholicis*.

CAPUT XIV.

Quis locus in hydrophobicis patitur.

VIcina etiam quæſtio eſt ſupra dictæ, quiſnam in *hydrophobicis* locus corporis patiatur. Equidem DEMOCRITUS cum de Emproſthotonicis diceret, *nervos* inquit: conjiciens hoc ex corporis (*a*) *conductione*, atque *veretri* tenti-

---

(*a*) ſpaſmo & convulſione.

gine. ASCLEPIADIS, ſectatores alii *membranam* ajunt *cerebri*. Siquidem ſecundum ASCLEPIADEM omnis paſſio quæ mentem turbaverit in ipſa conſiſtat, ut *phrenitis*, *lethargia*, *epilepſia*. Quo adſumitur, ut etiam *hydrophobica* paſſio eidem membranulæ adſcribatur, quæ animum conturbat. *Alii* ajunt *diaphragma* pati, ſiquidem in ipſo ſit dolor conſtitutus.

ARTHEMIDORUS ERASISTRATI ſectator, & ARTORIUS ASCLEPIADIS ſectator, de hydrophobia ſcribentes, atque plurimi noſtræ ſectæ ſcriptores, ajunt (*b*) *ſtomachum* pati: ſiquidem *ſingultus* ſequatur & *vomitus* fellis, & adpetentia inſatiabilis bibendi, quorum ſingula ſtomachi paſſionis eſſe noſcuntur: conſentire tamen etiam *membranas* cerebri. Sed nonnulli ASCLEPIADIS ſectatores, *ſtomachum* atque (*c*) *ventrem* pati dixerunt. Etenim bibendi adpetentiam non ſolum ſtomachi parviſſimi viis, ſed etiam ventris fieri probant: *vomitum* quoque utriuſque partis effici paſſione GAJUS HEROPHILI ſectator libro, quo de timore aquæ ſcripſit, ait *cerebrum* & ejus *membranam* pati. Etenim voluntario (*d*) motui ſervientes *nervi* atque ſtomachum colligantes, initium vel originem inde ſumpſiſſe noſcuntur.

MAGNUS vero EPHESIUS ſecundo libro epiſtolarum, ait ſigillatim eſſe dicendum, omnia, quæ difficultate motus in hac paſſione adficiuntur, pati; hoc eſt *cor*, *ſtomachum*, *diaphragma*,

---

(*b*) ventriculi os.
(*c*) τὴν ἄνω γαςέρα: ventriculum.
(*d*) motui.

caput, *ilia*. Non enim *pulſum* malignum fieri poſſe ſuſpicatur, niſi (*e*) præpatiente ea parte corporis, unde initium ſumit, quæ neceſſario (*f*) ſine ulla fuerit vexabili paſſione. *Pulſus* mutari in pejus nunquam etiam poteſt, neque *difficultas* ſpirationis fieri, ſi diaphragma atque pulmo naturali poſitione maneant, ac nullo modo tentata: neque *tentigo* frequens, atque ultra naturam, niſi virilia, ſive *radius virilis* fuerit in tumore conſtitutus: neque viſa mentem fallentia, quæ *Græci* phantaſmata vocaverunt, niſi capite patienti, fieri poſſunt. Siquidem in (*g*) ipſa, vel in (*h*) ipſo, ſenſus omnes ſint conſtituti, ſenſuales viæ ex ipſo ad cor referantur, quorum nihil eſt ad medicum neceſſario pertinens.

Sufficit enim agnoviſſe, *caput* pati tempore quo mens fuerit alienata: quippe cum etiam ex antecedentibus ſignis pati noſcatur. Præcedit enim quibuſdam *dolor* capitis atque aurium *tinnitus*: viſus quoque falſitas, provolantium *animalium minutorum*, tanquam culicum adſpectu, quapropter palpebrationem frequentant: nec non etiam *vultus* fervor cum rubore per ora ſe inſinuans, teſtante *lachrymarum* fluore, cum *angulis* oculorum ſanguinolentis, exſtantibus *venis* ex utraque parte temporum, adparet. Sed horum ſinguli ratione commoti, vera quidem, ſed deficiente, hæc poſuerunt. Præpatitur enim ea pars, *quæ morſu fuerit vexata*, unde initium denique paſſio-

(*e*) prius patiente.
(*f*) cum ulla.
(*g*) mente.
(*h*) capite.

nem ſumere nemo negat. Patitur enim *totum corpus*, quod probamus ex his, quæ ſinguli dixerunt. Cum enim alii alias adſerunt pati partes, omnes pati confitentur.

Fit autem probabilius ex his, quæ manifeſte *hydrophobicos* ſequuntur. Ea ſunt *ſaltus* membrorum, *raptus* ſive contractio nervorum, *ſitis*, *aquæ timor*, *tentigo*, abſtinentia vel retentio egerendorum. Plus tamen *ſtomachum* pati, atque ventrem recte dicimus. In ipſis enim plurima ſunt accidentia ſigna, & manifeſtiora: ut *ſingultus*: *ſaltus*: egerendorum *retentio*: conductio vel contractio: *ſitis* intolerabilis. Sed nihil horum ad curam neceſſario refertur. Ubi enim paſſionem invenerimus, eidem parti juxta magnitudinis comparationem adjutoria adhibemus.

CAPUT XV.

Utrum nova paſſio ſit hydrophobia.

QUidam (*a*) *logicorum* quæſiverunt (*) pro (*b*) *loco*, utrum nova paſſio ſit *hydrophobia*, ut ſi novam invenirent, novam etiam cauſam atque curationem inquirerent: quod a nobis quidem alienum eſt. Fieri enim poteſt, ut particulares vel ſpeciales paſſiones novæ fieri poſſint; generales autem vel principales, quarum do-

---

(*a*) rationalium medicorum.
(*) primo.
(*b*) ſuo captu.

minio cæteræ quæque ſubjiciuntur, fieri nunquam poſſunt. Hæ denique conſuetis atque congruis curationibus ſimiliter curantur: ſed ut plenius omnia perſpiciantur, ſingulorum placita, ſive viſa, vel exiſtimationes (*c*) ordinamus.

Etenim quidam ajunt novam eſſe hydrophobicam paſſionem, quidam negaverunt. Et alli (*d*) omnino, ut ARTEMIDORUS Sidenſis. Alii (*e*) ſpecialiter, ut CARIDEMUS ſectator ERASITRASTI. Item non novam eſſe paſſionem plurimi dixerunt, ſed ob (*f*) adſtrictionem probandæ novæ paſſionis, ajunt, neminem veterum hanc memoraſſe paſſionem, ac ſoli, inquiunt, novelli (*g*) *inventores* eandem adverterunt.

Certe (*h*) ſi ſunt apud veteres, nec tamen hæc memorata cognoſcitur. *Secundo* confundit atque turbat hæc paſſio non ſolum inertes, ſed etiam artifices: quo probatur ob tantam oſtentationem magnitudinis nova inveniri. Dehinc aliarum paſſionum *cauſæ* adprehenſibiles ſunt, ſcilicet activæ atque operantes, quas *ſymecticas* vocant: iſtius autem paſſionis incomprehenſibilis eſt, quod eſt ſignum probabile novæ paſſionis.

Additur etiam, quod ſit incurabilis. Sed his contraria ſentientes falſum eſſe inquiunt, quod hanc paſſionem nullus veterum memoraverit. Etenim DEMOCRITUS, qui HIPPOCRATI convixit, non ſolum hanc memoravit paſſionem,

---

(*c*) ordinabimus.
(*d*) nullam eſſe novam.
(*e*) hanc non eſſe novam.
(*f*) difficultatem.
(*g*) auctores ſ. ſcriptores.
(*h*) multæ deſcriptæ ſunt.

ſed etiam ejus cauſam tradidit, cum de *opiſthotonicis* ſcriberet: ipſe quoque HIPPOCRATES etſi non principaliter de ipſa paſſione tractans, ſenſu tamen dictorum hanc memoraſſe monſtratur, in *Prædictivo* libro dicens phreniticos (*i*) *parvibibulos*, ſono quolibet pulſatos, tremore adfici. Alienatione autem mentis *hydrophobos* vexari videmus: quapropter hos HIPPOCRATES phreniticos dixit parvibibulos, quos *brachypotas* vocant, hoc eſt, (*k*) quod modicum biberent, ob timorem liquoris.

Item POLYBUS hanc paſſionem memoravit, dicens *aquifugas* cito interire, quos *pheugydros* adpellavit. HOMERUS quoque hanc adgnoviſſe paſſionem probatur. Conjicit enim per figuram cum de TANTALO dicit. Item ubi inducit TEUCRUM occiſis octo, HECTOREM non potuiſſe percutere, atque ita loquutum, ut diceret ſe hunc interficere non poſſe *rabidum canem*. Cum igitur memoravit HOMERUS id ex quo fieri *hydrophobi* poſſunt, erit conſequens, ut &, quod fieri poſſint, ſcierit.

Item Comicus MENANDER inducens ſenem iraſcentem, iſtius paſſionis imaginem vinolentis adſcripſit, dicens non poſſe bibere eos, qui vinum uſque ad vexationem potant. Ratio quoque hoc oſtendere videtur. Etenim ſuperioribus temporibus aut erant *canes*, aut non erant: ſed non fuiſſe quis dicere audeat. Paſſionis etenim cauſam prompte HOMERUS memoravit. Si igitur fuerunt, etiam *rabie* adfecti ſunt: quo fit ut cum fuiſſet cauſa, ex qua *hydrophobi* fierent, atque homines qui fierent, vel pati potuiſſent, demonſtretur, erit

---

(*i*) βραχυποτας.
(*k*) qui.

rationabile, ut apud antiquos hæc paſſio fuiſſe credatur, Expaveſcere autem ſive confundi, ut ajunt, non ſolum inertes, ſed etiam artifices hac paſſione, non neceſſario ſignum eſt eandem *incurabilem* pronunciandi. Etenim plurimæ aliæ paſſiones non aliter videntium mentem confundunt, ut *ſatyriaſis*, *apoplexia*.

Item cauſa præcedens ejus paſſionis, incomprehenſibilis, ut putant, non eſt, quam plurimi medicorum atque philoſophorum tradiderunt. At ſi eſſet incomprehenſibilis, quod ex ea ſequitur, manifeſto eſſe adprehenſibile, nulli negant, vel ſi eſſet incomprehenſibile, id quod ſequitur, hoc eſt paſſio, non tamen incurabile. Ac ſi incurabile, non neceſſario novum, ut neque *carcinoma*, Sed ajunt principaliter ex his, quæ ſequuntur, vel deſignant *hydrophobicam* paſſionem nihil eſſe ejuſdem proprium, ut *ſingultus*, qui quamquam eos ſequatur, ſit tamen communis eorum qui *hydrophobi* non ſunt. *Sitis* etiam ſequitur, atque *vomitus fellis*, ſed febricitantibus hæc ſæpe contingunt, Item *turbatio* mentis atque *timor*, ſed etiam phreniticos ſæpe comitantur. Si igitur nihil proprium ſequitur *hydrophobos*, ſed ſunt omnia communia aliis paſſionibus, non poterit nova paſſio nuncupari.

Nos quoque his conſentimus. Videtur etenim hæc paſſio etiam frequentare quibuſdam temporibus, vel locis, ut apud *Cariam* atque *Cretam*. Hæc enim inſula aliorum venenoſorum animalium (*l*) difficilis, atque pene libera, ſola *canum rabie* vexatur frequentiſſime. *Poetarum* quoque teſtimonium longe vetuſtiſſimum, atque non rectis neceſſario verbis deſtinatum, accipiendum ducimus.

(*l*) raro altrix & procreatrix.

Item HIPPOCRATES magis phreniticos memoravit, non hydrophobos, *parvibibulos*. Nam inquit eos, quod in quibusdam phreniticis frequentare videmus, aut fastidio possessos, non solum cibum, verum etiam potum refugere: vel certe traductos visis, quæ *Græci* phantasiam adpellant, (ut ait EUDEMUS) ut accipiendum non existiment potum: vel suspicione (*m*) delirationis adfecti, admixta putent venena liquori: tremunt quoque nonnunquam debilitate nervorum, & ad omnem sonitum commoventur, scilicet alienationis proprietate, & non necessario *hydrophobicæ* passionis. Quapropter aliis utendum est rationibus, ad demonstrandum, esse novam hydrophobicam passionem.

(*m*) ob delirationem.

CAPUT XVI.

Quomodo curandi sunt hydrophobi.

CUrandos *hydrophobos* convenit jacere loco mediocriter *calido*, atque *lucido*, adhibita articulorum *defricatione*, (*a*) servatos etiam *insomnes* usque ad laxamentum temporale. His quoque partibus, quæ rapiuntur, vel conductione vexantur, calidis atque mundis *lanis*, aut pannis prætectis adhibendæ etiam molles *vaporationes*. In statu accessionis, dulci atque calido *oleo* clam lanis tinctis, vel foris a cubiculo infusis, tum immissis foven-

---

(*a*) servari.

dæ, ne visu liquoris ægrotantes in commemorationem timoris reducantur.

At si aliqua fuerit *indulgentia* passionis, quæ erit adprehendenda, si etiam *febres* fuerint, ex minutione *fervoris*, si etiam non fuerint, minutione *timoris*, erunt phlebotomandi ex brachio, quo vena facilior occurrerit. Ita in fluenti sanguine evertenda sunt ægrotantium ora, atque manu excipiendus fluor, ne sonitu perculsi commoveantur.

In *diatrito* vero erunt primo perungendi, sed pannis oleo tinctis (eorum enim tractu latenter corpora perungentur) extergendi quoque: at (*b*) *alia* foventur aliis calidis atque (*c*) immundis consequenter pannis, vel linteolis: tunc post perunctionem *cibus* dandus tenuis, & *sorbilis*, quo latenter cum cibo etiam potus inducatur: & *panis* aqua infusus, vel *alica* ex aqua: facile enim accipiunt.

Sed oportet magis tempora dandi servare cibum & potum: quod fiet (*d*) hoc genere, ut ex obliquo fabulantes de consueta vita loquantur, *lavacra* memorando, atque *bibendi* copiam.

Tunc si ægri his dictis placidi permanserint, fidenter offerimus *potum*, dimissionis tempore invento. At si commoti, vel *irati* fuerint, audito lavacro, vel potu, erit differenda oblatio: dandus interea potus in *fictili* vasculo, subtili caverna perforato, tanquam sunt papillæ uberum; & dandus ægrotantibus, (*e*) præfecto *obstaculo* oculo-

---

(*b*) diatrito.
(*c*) inunctis.
(*d*) hac ratione.
(*e*) prius facto.

rum, vel temporaliter clausis fenestris. Est enim omnifaria *mitigatione* passioni providendum, ut nulla occasio detur excitandi furoris.

Oportet denique etiam *ministros* aptissimos esse, & primo ut sint *taciti*, neque fabulas injicientes, sed ejus respondentes dictis, & ita respondentes, ut cedenter, ac sine ulla (*f*) constantia eum consentiendo coerceant, atque ejus visa, quæ mentis falsitate efficiuntur, eidem sensim displicere, atque incredibilia faciant.

Dehinc convenit laxativis *cataplasmatibus* thoracem curare, & a tergo inter utrasque (*g*) palas, quod *Græci* metaphrenum vocant.

Cum autem *statum* sumpserit passio, etiam *cucurbita* adponenda iisdem locis, cum *scarificatione*: tum spongiarum *vaporatione* utendum: quæ quidem *latenter* erunt ex oleo atque calida exprimendæ, & adponendæ, obvolutæ pannis vel linteolis, ne humoris sensus aut sonitus exagitent ægrotantem. Tunc etiam *caput* detondendum, & iisdem adjutoriis concurandum: *gestatio* adhibenda, in lectulo suspenso, sive portatoria sella. At si passio perseveraverit, iisdem perseverabimus adjutoriis.

Illud etiam erit adfectandum, ut si omnino *potum* recusaverint, qualibet tamen parte quiddam liquoris adsumant, & nulla indignatione ægrotantes adficiantur visu perterriti. Quod ita facere poterimus, si calidam atque oleum *clystere* per podicem injiciamus, & hoc si fieri potuerit, diurnis diebus: parvum quidem: tunc enim poterit con-

---

(*f*) resistentia, obstinatione.
(*g*) scapula.

tineri. Nam ſi fuerit plurimus humor, ſua redundantia ac pondere provocat excludi. Erit enim ejus continentia *utilis* ad minuendam *ſitim*. Nam neque ſolum *dyſentericis* injectum medicamen ſuperiora invadens ſæpe ſtomachum atque caput vexare accipimus, ſiquidem eo neceſſario perveniat; ſed etiam calidam & oleum pervenire poſſe concipimus, quo partibus iiſdem irrigationis præbeat laxamentum. Poſt injectionem denique manibus admotis, impreſſione moderata, ex inferioribus ad ſuperiora ducentes, liquorem adſcendere provocamus.

Declinante paſſione erunt ægrotantes reſumendi, ſed multo tempore a *lavacro* abſtinendi, atque *vino*, ne in periculum redeant. At ſi ex iſta paſſione, ut ſæpe contingit, (*h*) *ſatyriaſis* fuerit effecta, erunt adhibenda ea, quæ paulo poſt dixerimus.

Antiquorum autem medicorum nullus iſtius paſſionis tradidit curationem. Ajunt denique THEMISONEM quanquam volentem, non potuiſſe: ſiquidem ex *rabido cane* quondam fuerat vulneratus, etſi ejus curationem adſumeret mente, quippe ſcripturus, continuo admonitus in eandem (*i*) laberetur. DEMOCRITUS vero jubet *origani* decoctionem dari, atque ipſum poculum quo bibunt, in *ſphæræ* rotunditatem formari. Eſt autem hoc genus decoctionis acerrimum, atque ſtomachum vexans, & incendens: in quo etiam idem ſibi repugnare perſpicitur. Ait enim *hydrophobiam* eſſe incendium nervorum.

Quidam *Medici*, ut ARTORIUS memorat, alios

(*h*) veretri, ut antea dixit, tentigo.
(*i*) relaberetur.

in vasculum plenum frigida miserunt, alios in *puteum* posuerunt, saccis immissos, vel inclusos, ut necessitate bibere cogerentur, alii in aquam calidam, nescii quod *passionis curatio illa sit, non ut bibant ægrotantes, sed ut bibere velint:* quod fiet cum passio fuerit adjutoriis destructa.

Multi denique etiam bibentes raptu adfecti sunt graviore. Quapropter etiam toto corpore infundendos, ut putant, in aquam frigidam, magis vexabile comprobamus. Omne etenim frigus extendit tumentia. Nam propterea, ut ARTORIUS dixit, raptu interficiuntur. ARISTOXENUS ad (*k*) correptionem atque abundantiam liquoris intentus, (*l*) prædandum dicit potum, atque clysteribus utendum, communiter omnibus, depurgativæ vel temperativæ virtutis: sed hæc tumorem passionis intendendo geminant (*m*) comitantia. TULLIUS BASSUS etiam sternutamentis utitur, & clysteribus, cum generaliter hæc passio mitigatione indigeat ob acutissimam celeritatem, & non, ut hic putat, *recorporativis* adjutoriis sit (*n*) adspergenda, quæ *Græci* metasyncritica vocant. NIGER ejus amicus etiam album helleborum dedit. EUDEMUS autem phlebotomans, helleborum dat secunda vel tertia die, atque cucurbitas adfigit usque ad partium pustulationem. AGATHINUS libro de helleboro conscripto, jubet etiam dari helleborum in initio passionis. *Alii* podicem cataplasmandum jubent helleboro. *Alii* collyria ex ipso facientes, quæ adpellaverunt balanos, podici supponunt.

(*k*) ingurgitationem.
(*l*) semper dandum.
(*m*) symptomata.
(*n*) exasperanda.

Sed erunt communiter omnes *culpandi*, cum ſit paſſio acuta atque celeris, & vehemens, ac ſæpiſſime continua. Quippe cum nunquam puram atque ſinceram habeat dimiſſionem, & eſt *helleborum* recorporativæ virtutis, ac propterea *tardis* paſſionibus conveniens, quas *Græci* chronias adpellant, & in earum principaliter lenimento, atque regulis ciborum ægrotante præparato, (*o*) quod *Græci* diætam vocant, quod utique non ſine tempore prolixo fieri poteſt. Sine his igitur *nihil veneno differet helleborum* datum. Eſt etiam grave uſque ad puſtulationem corporis cucurbitas adponere. Et ſimile quiddam, tumentes oculos ligneo baculo inungere. *Quidam* caſtoreo potandos jubent *hydrophobos : alii* roſaceo oleo : *alii* diagridio, aut elaterio, aut lacte, vel pinguibus juſculis incongrue agitantes atque gravantes ægros, & non eo tempore, quo permitti potuit uſus ſupradictorum, præcautionis cauſa ac effugiendæ paſſionis. (*p*) Nunc etiam ſi præſens indigeat congrua curatione : Clyſtere *quidam* depurgant vel temperant vim veneni, quæ ſemper poſt effectam (*q*) paſſionem contemnenda eſt, urgentiore cogente (*) *cœnoteta.* (*r*) Item nihil aliud quam potum dare quoquo modo nituntur, nunc gelu, vel *nivem* offerentes ægrotis, nunc viridem *ficum*, vel *pyrum*, aut *cucumerem*, & his ſimilia. *Alii* calami perforati initium ori ægrotantis immittunt, dehinc ex alia par-

---

(*o*) quas.

(*p*) *ſubint.* cum morbus jam in ſtatu eſt.

(*q*) acribus hujuſmodi utuntur.

(*) κοινότης Methodicis eſt analogia quædam, quam morbi eoſque curandi modi ad ſe invicem habent.

(*r*) *ſubint.* quidam.

te per (*s*) aliam cavernam aquam infundunt. *Alii* poculo (*t*) lineo panno superimposito, vel (*) belluæ pelle, potandum putant, scilicet *superstitione* traducti, quod naturalis *authoritas belluarum* quæ canibus est contraria, timorem ægrotantium solvat.

Sed hæc, quæ vulgus per experimenta probata putat, longe aliena ab arte monstrantur. Alia quoque quæ facienda ordinaverunt, ratione rejicienda sunt, ut ea, quæ sunt *vinosa* ante declinationem offerenda. Item *frigida* sunt ob tumorem incongrua. Constringunt enim atque extendunt *strictura* difficultatem, ex qua sine dubio *hydrophobica* passio confecta probatur.

(*s*) illius.
(*t*) ligneo.
(*) felle REINES. *Var. Lect.*

CAPUT XVII.

De acuto tormento, quod Græci (a) ileon adpellant.

TOrmentum dictum est, quod existiment ægrotantes convolvi, atque torqueri suorum intestinorum (*b*) *verticula:* vel quod spiritus ob (*c*) abstinentiam clausus sese involvens, (*d*) vinctiones atque tormenta efficiat, vel quod vehementia dolorum supra eas partes, quæ patiuntur, ægro-

---

(*a*) passionem iliacam.
(*b*) sinuosos anfractus.
(*c*) compressionem exitumque negatum.
(*d*) spasmodicas contractiones.

tantes arcuati convolutique plicentur. SALIMACHUS autem ait, quosdam PYTAGORICOS apud *Siciliam* medicantes Græco nomine (*e*) *phragmon* vocare, siquidem obtrusis naturalibus ventris officiis fieri videatur.

Item hanc passionem tertio libro acutarum vel celerum passionum ASCLEPIADES definivit hoc modo: *Tormentum* est *contortio extenta*, *atque longi temporis intestinorum*: sed hoc improprie dixit, quod sit longi temporis tormentum. Est enim acuta atque celeris passio.

Denique *intestinorum tormentum* dicimus esse, *contortionem* (*f*) *extentam atque perniciosam*. Sunt autem ejus antecedentes causæ communes, quæ etiam alias facere valent passiones: sed magis *perfrictio*, *indigestio*, atque *cibi* gravabiles & inflabiles, vel novi: aut *venenum* potum, aut cibo datum, aut *fungi* comesti.

Sequitur autem in passione constitutos ventris vehemens *inflatio* & intestinorum, & dolor nimius *iliorum*, atque ossium, quæ a pube usque ad ilia perveniunt, quæ *Græci* ephebia adpellaverunt, totius quoque *ventris* atque superpositæ cutis *inflatio*, & membranæ majoris, quam *peritonæon* vocant, scilicet quæ omnia interius tegit atque continet viscera. *Consensu* etiam, vesicæ, & officii ventris perfecta abstinentia: *stomachi* eversio per nauseam, *salivarum* fluor, *sitis* vehemens: *spiratio* (1) hirta, atque anhelatio: *articulorum* frigidus torpor: *pulsus* densus: *singultus*: exitus per

---

(*e*) sepimentum: occlusionem.

(*f*) acutam.

(1) τὴν δασεῖαν, quæ vox significat & densam, & hirtam; non satis apte hic vertit hirtam.

podicem venti nihil relevantis: ac ſi quicquam per clyſterem fuerit injectum, aut non admittitur ob nimietatem ſtricturæ, aut admiſſum retinetur exitu negato: aut ſi fuerit redditum, erit connexum pinguibus ac (*g*) veſiculoſis (*). *Mulieribus* etiam matricis adductio ad ſuperiora fit, *vomitus* quoque humorum (*h*) pinguium, qui in ventriculo & ipſius orificio adhæreſcebant contumaciter.

His vero, qui perniciosius atque (*i*) ſpecialius jactantur, etiam *ſtercorum* vomitus fit. Tunc quoque pulſus concidit: nigreſcit corpus cum nimia linguæ aſperitate: aliquando etiam, ut HERRCLIDES TARENTINUS memorat, quarto libro de internis paſſionibus, *inteſtinorum verticula* diſtentis cutibus adparent, cum (*k*) *peritonæo* disjecto ſola fuerit ac ſuperpoſita cutis. *Alii* vero memorant *ventum* per podicem redditum ſine odore tetro, *perniciosum* fore; at ſi fuerit odoris tetri, *ſalutem* promittere: In *illis* enim ob nimiam *ſtricturam*, tanquam liquatus ſpiritus purior excluditur, in *his* autem ob quandam *laxamenti* facultatem infectus exhalationibus ſtercorum, excludetur.

(*l*) Torminoſa igitur ab iſta paſſione, quam ſpecialiter *tormentum* diximus, magnitudine differe monſtramus. Hi enim levi dolore adficiuntur, & ob hoc ventriculoſi ſive torminoſi vocantur. Item diſcernuntur dolore ventris. (*m*) *Ventricularia*

(*g*) ſpumoſis.
(*) viſcoſis.
(*h*) craſſorum viſcidorum.
(*i*) exitialius.
(*k*) peritonæi diſtenta tela.
(*l*) cæliacum adfectum.
(*m*) ἡ τῶν κοιλιακῶν διάθεσις.

tricularío enim ſuperius magis ventre eſt, atque ſub præcordiis, & ſæpe ſine inteſtinorum tormento.

Diſcernitur etiam a *coli* vexatione. Eſt enim principaliter coli vexatio, *unius inteſtini* paſſio, atque *tarda*, quam *Græci* chroniam vocant, & diutiſſime perſeverans. *Tormentum* autem (*n*) ſolius acutæ paſſionis, eſt omnium inteſtinorum vexatio.

Alii hanc paſſionem *Chordapſon* vocaverunt, quod non aliter quam chordæ inteſtina tendantur. Nam veteres *Græci* inteſtina chordas vocaverunt: ſed hoc quoque nomen alii commune vocabulum tormento poſuerunt, ut HIPPOCRATES, PRAXAGORAS, EURYPHON *Gnidius*. Alii differre (*o*) dixerunt, ut DIOCLES libro de paſſionibus atque cauſis & curationibus ſcripſit. Etenim *tormentum* non ſine ructationibus fieri dixit, atque emiſſo per podicem vento, ſine ſtercorum egeſtione, ventrem quoque non neceſſario durum fieri, & clyſteris injectionem accipere, doloris etiam initium e ſuperioribus magis accedere. In *chordapſo* rejicere ægrotantes, ſi *mediocris* fuerit paſſio, humorem: ſi *vehemens*, ſtercora: & neque injectionem clyſteris admittere, ventrem durum, atque extentum jugiter, in orbem tumoris ſublevatum, (*p*) interiores inteſtinorum partes doloribus adfici, *ſtomachum* quoque (*q*) immobilem ac fixum, vel inflexum permanere.

(*n*) nunquam non acutus morbus.
(*o*) nimirum tormentum a chordapſo.
(*p*) inferiores.
(*q*) ob nimiam ſtricturam a nimis contractis fibris.

Sed de his hic diſſentire neceſſarium non eſt: oportet enim intentionem adhibere, atque intelligere, quod ſit paſſio ſtricturæ, atque acuta celeris, & vehemens. Quapropter habendi ſunt ægrotantes *loco* mediocriter *calido*, atque *lucido*: adhibita *requie* cum ſilentio, & *abſtinentia* cibi uſque ad primam diatriton: prohibito quoque *ſomno*, donec acceſſio declinet.

Incipiente autem eadem, *articulorum* adhibenda eſt blanda ex manibus *calefactio*, & partes quæ doluerint, contegendæ mundis, & mollibus lanis. Adponenda etiam mediocris *vaporatio*, qua mitigari dolor poſſit, ut ſunt panni calidi, atque linteola, vel veſica, calida & oleo ſemiplena, vel *ſaccelli* ex cantabro calido completi, vel polline, vel lini ſemine ex aqua mulſa.

Cum autem *ſtatum* ſumpſerit acceſſio, jubemus eos, ſi pati potuerint, jugiter *foveri* oleo dulci atque calido, ſcilicet uſu dextero, quo [r] prærepto nuper infuſo mox novum ſuperfundatur oleum.

At ſi *dolor* coegerit, phlebotomandi erunt, ſcilicet ex brachio, dimiſſionis tempore. Et ſi ante diatriton id factum fuerit, foventes primo os, deinde colluere permittimus ex aqua calida, deinde dabimus *potum parvum*, ob mitigandum. Si enim plurimum ſumpſerint gravatis tumentibus, provocabitur paſſionis aſperitas, ſicut fit cum grave quiſquam *cataplaſma* adponendum putarit, ex plurima, atque [ſ] corporoſa inductura.

At ſi in ipſa diatrito fuerit adhibita *phlebotomia*, parum differentes ob reſumptionem, *unctione* cor-

---

[r] conſumpto.
[ſ] magnæ molis.

pus curamus, & ſorbile damus quiddam, tenue, atque panem ex aqua calida non quidem plurimum. Ea enim, quæ ob adpoſitionem cataplaſmatis exterius admoti aſperantur, magis plurimum diſtenduntur cibis uberioribus gravata.

Alternis denique diebus *cibum* dabimus, donec paſſio declinet: dehinc *cataplaſma* adhibemus ex pollinibus, & lini atque fœnugræci ſeminibus, ex mulſo confecta, vel [*t*] calida & oleo, illud curantes, ut calida perſeverent plurimo tempore, & neque [*u*] valida atque robuſta inductione gravabilia fiant pondere. Faciunt enim ægrotis dolores augeri. Tunc etiam *cucurbitas* adponimus, ſed eas, quæ ſint oſculo latiore, atque labiis flexis. Lenius enim, atque blando tractu arripiunt membra. Tunc etiam *ſcarificatione* utemur, vel in cucurbitarum vicem, ne earum pondere grave quicquam ægrotantes ſentiant, *vitrea* adponimus vaſcula vel *teſtea*, quæ *Græci* amphoras vocaverunt. Tunc *ſpongiis* vaporamus expreſſis ex calida, & oleo, vel decoctione fœnugræci, aut lini ſeminis, aut agreſtis malvæ, & rurſum cataplaſmamus.

Injicimus per *clyſterem* oleum calidum, vel calidam & oleum, & ex ſupradictis decoctionibus quicquam. Eſt etiam conſuetum nobis aquam oleo dulci, æquali modo commixtam, cum *hibiſco* coquere, donec aqua inſumatur. Tunc oleum remanens concepta lenitate, atque (*x*) *pinguedine* ex radice ſupradicta, injicere per

---

[*t*] aqua.
[*u*] magna copioſaque infartura.
(*x*) quod hodie mucilaginem dicimus.

clysterem. Nam si solum oleum fuerit cum radice hibisci non admixta aqua decoctum, necessario *nidorosum* fiet. Adhibemus etiam *encathismata* ex calida & oleo, vel quarumcunque laxativarum materiarum decoctione.

Cum autem declinare passio cæperit, etiam *embasim* adhibemus ex oleo, vel calida & oleo, aut decoctione laxativarum materiarum, non sine cautione. Declinanda est enim (*y*) *perfrictio*: quapropter erit facienda in calido loco, vel *balnei* fornice, quem adpellant (*z*) (*) *achicholum*, sive cameram.

At si sensus aliquis permanens erit duritiem, cataplasmatibus ex ordei farina, & adipe porcino recente, & pici liquida. Tunc *cerotaria* adponemus & malagmatum leniora, ordinantes etiam *lavacrum*, & *varium cibum*, & *vinum* ultimo; præcaventes multo tempore frigida quæque, atque indigestionem, & inflabiles, vel acres, & minus digestibiles cibos.

Veterum autem medicorum, HIPPOCRATES secundo libro de *morbis*, communiter inquit refrigeranda superiora, particulariter autem adhibenda *vomifica* medicamina, & *phlebotomia* ex brachio, & capite. Tunc in vasculum aqua calida plenum deponere jubet ægrotantes: facere etiam *collyrium* decem digitorum, quem adpellavit *balanum*, atque hunc summo tactu felle taurino ungendum: Tunc si nihil [*aa*] perfecerit, *clysterem*

(*y*) frigoris susceptio.
(*z*) aliqui Tholum, vel architholum.
(*) Achæi.
[*aa*] profecerit.

adhibendum. Vel ſi [*bb*] hoc quoque minus valuerit, *folliculo* artis ærariæ immittendum inquit *ventum* per podicem, quo [*cc*] diſtantia ventris atque inteſtinorum replicatis folliculis fiat, tunc ſtatim adhibendum *clyſterem* probat, detracto ſupradicto folliculo, & podicem cum *ſpongia* obſtruendum, atque in *aquam calidam* ægrotantem deponendum. Utendum inquit primo tempore paſſionis *melle* decocto, atque *vino*.

Secundo libro *epidemion* multum *vini* meraci, atque frigidi dari jubet, donec *ſomnus*, vel *dolor* fiat crurum, ſuſpicione cauſarum ſollicitatus: exiſtimat enim vel conſtituit fieri paſſionem *incendio* ſuperiorum, & *frigore* inferiorum. Contrarias igitur virtute materias adhibendas judicavit, non intuens paſſionem ex tumore fuiſſe confectam. Denique principio *vomitus*, quem adhibendum probat, aſperat ejus celeritatem, ſiquidem disjiciendo corpora commovet.

Phlebotomare autem convenit, non poſt vomitum, ſed *laxamenti* cauſa, non ut HIPPOCRATES adfectandum putat, ob *frigidandum* corpus. Dehinc ex brachio, non ex capite, neque ſimul ex multis partibus phlebotomare oportet. Etenim repentina ſanguinis effuſio virium defectum faciens, non ſinit congruam fieri detractionem, vel quantum magnitudine paſſionis eſt conveniens.

Collyrium autem felle taurino perunctum, omnifariam nocens accipimus. Etenim ob *acrimoniam* fellis atque mordicationem tumentia provo-

---

[*bb*] hic.
[*cc*] diſtentio.

cat in fervorem, & ob longitudinem digitorum decem immiſſum, premit eas partes, quæ neque tenuem liquorem ſine gravatione accipere, vel ferre valent. Nam de ærario *folliculo* quid dicere oportet, ſi ubi inflationis metus eſt, immittendum extrinſecus exiſtimat *ventum*, atque, quod eſt maximi peccati, *frigidum* his partibus, quæ etiam (*dd*) naturali tactu prægravantur, non aliter, quam ſi quemquam in *tetanica* paſſione conſtitutum cum ſit (*ee*) poteſtatis, *laxativis* curare virtutibus, eundem organis diſtendere contendamus.

Advertendum igitur, quod magis (*ff*) roborat vexationem, vel duplicat corporis inflationem, adjiciens graviora, quod etiam per clyſterem liquoribus magis prægravat corpus, & tumentia importune *vento* vexata, etiam liquoris *percuſſu* intemporali feriantur. Item *ſpongia* adponenda quam probat, (*gg*) extenta magis premit.

Utitur autem *vino*, malis quidem, ſed ſui ſimilibus conſiliis: Neque enim temporaliter declinationem paſſionis obſervavit. Præterea uſu immodico, ſi quidem plurimum dari jubet, & (*hh*) intemperato, quod ſæpe in ſanitate conſtitutos alienari mente perficit. Tunc etiam incongrue, ſiquidem frigido. *Omne* etenim *frigidum tumentia auget.* Repugnanti ergo judicio vinum dare perſpicitur, effectum ſomno atque dolori crurum adſcribens; ſomnus etenim levigata atque ſoluta

---

(*dd*) dolore ex morbo.
(*ee*) in noſtra poteſtate.
(*ff*) auget.
(*gg*) inflata.
(*hh*) mero, ἀκρατῳ.

paſſione efficitur: dolore autem pejorante, & aſperato tollitur. Quod ita manifeſtum eſt ut demonſtratione non indigeat.

DIOCLES autem, libro quo de paſſionibus, atque cauſis & curationibus ſcribit, *phlebotomat* in paſſione conſtitutos, atque *cataplaſmatibus* curat ex polline, quod *Græci* ὠμὴν λύσιν vocant, & adipe & vino, & fæce. Tunc *præpotat* atque *clyſterizat* ex abrotani ſemine cum mulſo, & aceto & ariſtolochia & cumino, & nitro, & fœniculi radice decocta ex vino, admixta aqua marina, vel paſſo, vel acriore vino, ſive lacte cum decoctione lini ſeminis, & mellis, vel ſimilibus. Quarto autem libro de curationibus, *juvenes*, inquit, atque habitudine robuſtos, & magis quibus dolor ad latera fertur, *phlebotomandos* probo ex (*ii*) manu dextra interiorem venam, & ſubmittendos in *aquam calidam*, fotis ventri injicere admixto ſale *clyſterem*, & rurſum in aquam calidam deponere, & fovere.

Præpotandos autem jubet etiam medicamentis, hoc eſt, *panacis* dimidia drachma, in mulſo (*kk*) ex aceto tepido reſoluta, & *myrrhæ* obolos duos cum (*) *periſtereonis* herbæ foliis in vino albo, vel *cumino* æthiopico. Adjuvat etiam plurimos *plumbi* catapotium tranſvoratum. Impellit enim pondere, & excludit obtrudentia.

Diurnis, inquit, præterea diebus ſitientibus potandum *vinum* dulce, vel *aquam* temperatam, aut *marinam* cum vino albo, aut centauream

---

(*ii*) manus dextræ interiore vena.

(*kk*) &.

(*) De hac herba, quam & *Alceam* vocat, videatur Plin. N. H. libr. XXVII. cap. 4.

herbam, aut nitrum vel ejus ſpumam, ut ea, quæ potuerit ſolvat. Danda etiam *ſorbilia*: vel (*ll*) *cantabri* lotura cum melle: vel (*mm*) *bromi* ſuccus: vel ptiſanæ: aut cum farina olera cocta, alia ex adipe, alia ex halica atque ſale: ſorbendum etiam & juſcellum *ſcari* piſcis, & *carabi*, & *buccinarum*, & *cancrorum*.

Tunc reſumptio, inquit, adhibenda (*nn*). Cujus quidem materies percurrit, quas ſuperfluum eſt recenſere. Etenim ex ſupradictis varia atque iners commixtio materiarum demonſtratur. Non enim ſolos oportet *juvenes* phlebotomari, ſed etiam alios in *aliis ætatibus* conſtitutos; neque ſemper e dextera manu vel interiore vena, ſed etiam ex ſiniſtra atque exteriore. Facta detractio enim tumentia relaxat (*oo*). Uſus atque acrimoniæ cauſa erigit in fervorem tumentia.

Eſt præterea vexabilis præbibendi *medicaminis* potio. Etenim ſunt acria atque mordentia, & quæ non ſint mitigativa celeritatis, neque moris relaxantia. *Plumbum* vero tranſvoratum premit quidem, atque impellit pondere, ſed tactu neceſſario frigidat, atque inteſtina denſitate coacta vexatione diſtendit. *Juſcella* autem in corruptione facilia, & inflantia eſſe noſcuntur. Item ptiſanæ ſuccum eadem perficere. *Vinum* quoque in augmento inimicum.

PRAXAGORAS tertio libro curationum, *clyſterem* jubet adhiberi, dans medicamina *purgativæ* virtutis, atque per *vomitum* corpora deſiccare;

(*ll*) furfuris.
(*mm*) avenæ.
(*nn*) nimirum nutrimenti.
(*oo*) Uſus autem clyſterum acrimoniæ.

contendit etiam potandum (*pp*) *mulsum* ex aceto, cum pipere atque nitro, & recenti lacte cum mulso, & aqua. Dat etiam (*qq*) *radices* circa vesperam comedendas, prædato aut superdato oleo. Utitur præterea ad podicem *collyrio*, & clysterem injicit, neque præpotat *absinthio* ægrotantes cum aceto, & vino sincero, cum oleo irino: (*rr*) sed vomitu utitur, donec *stercora* faciat evomi. Aliquos etiam post vomitum phlebotomat, & *vento* per podicem replet, ut HIPPOCRATES.

Item libris de causis atque passionibus, & curationibus, *vinum* dulce dari jubet, & rursum HIPPOCRATIS ordinem sequitur, congerens omnia peccata, & nihil aliud, quam facere diruptionem intestinorum adfectans, per acrimoniam medicamentorum id tentat, & inflabilium potionum, & injectione virtute similium, quæ infesta tensione, ac tumore intestinorum aut *retenta* ruptionem perficiant, vel putredinem, aut *acervatim exclusa*, alio genere interfectionem faciant.

Item *omne stercus per vomitum* (*ss*) *tumoris intestinorum est argumentum.* Non enim sine tumore nimio hoc perfici potest. Nam ex intestinis expressum per ventrem, stomachoque insidens stercus per eam partem excutitur, quo probatur magnificam mortem PRAXAGORAS magis quam curationem voluisse scribere (*tt*). Quibusdam etiam *manibus* premens intestina, magna quassatione vexavit, quibus *intestinum*, quod *Græci* τυφλὸν ἔντερον

(*pp*) oxymeli.
(*qq*) radiculam vomitoriam, sive raphanum.
(*rr*) ac.
(*ss*) phlegmones.
(*tt*) Quosdam.

adpellant, in (*uu*) *folliculum* fuerat lapſum plurimis ſtercoribus confertum.

Item confectis quibuſdam ſupradictis adjutoriis *dividendum ventrem* probat pubetenus: dividendum *inteſtinum rectum*, atque detracto *ſtercore* conſuendum dicit, in protervam veniens *chirurgiam*. Oportebat enim, ſi ad hoc accedendum neceſſitas imperabat, enterocelicorum adprobare curationem.

Temere ERASITRATUS ſecundo libro de *ventre* ſcribens culpans copiam atque acrimoniam clyſterum, ab antiquis ordinatam, ipſe quoque utitur *clyſtere*, ex *nitro* atque *ſale*. Injiciendum etiam probat acre *collyrium*, & ſimilibus utitur cataplaſmatibus, hoc eſt, ὠμῇ λύσει cum myrto, vino, ficu, & chamelæa, & abſtinet a *cibo* uſque ad paſſionis declinationem. Tunc dat *mulſum* tepidum, dehinc ſorbilem *ptiſanæ* ſuccum.

Sed hic aliorum accuſationi jungendus eſt, etenim culpans tanquam nocivam acrimoniam injectionum, non (*xx*) cuſtodit earum vexationem: quin etiam ex *cataplaſmatibus* conſtringens atque denſans tumentia, gravius ægrotantes adfecit. Eſt etiam quibuſdam uſque ad paſſionis declinationem abſtinentia vexabilis. Hic autem jam declinante paſſione, mulſum dandum probat, quod ante declinationem fuerat ordinandum.

HEROPHILUS de his nihil loquutus eſt.

ASCLEPIADES tertio libro *celerum*, vel acutarum paſſionum, aliqua gratiſſime, aliqua valenter ordinavit, in quibus eſt etiam inhibitio *vaporationum* ex aqua calida, tanquam facile frigentium: ſed fricandas inquit partes, quæ patiuntur,

---

(*uu*) ſcrotum.
(*xx*) vitat.

oleo, plurimo tempore, atque operose, quantum loca ipsa pati potuerint; fugienda inquit etiam declinationis tempore *lavacra*, non (*yy*) conjiciens (*zz*) quoniam *usum* vaporationum, non *genus* damnavit. Potest enim quisque etiam in alia vaporationum specie perfrigescere, nisi dextro usu fuerint adhibitæ. *Defricatio* autem adjutorium est chronicæ passionis, non acutæ, vel celeris sed magis, si, ut jubet, operantius fuerit adhibita, atque multo tempore.

Si igitur vera intentione loquamur, neque sibi hæc quæ ordinavit conveniunt. Ait enim debere *fricationem* adhiberi multo tempore, vel quantum ipsæ partes patiuntur, cum neque tumentia ex initio fricationem fieri admittant, quippe cum neque cataplasmata gravia valeant sustinere. *Lavacra* in declinatione adjuvant passionis solutionem. Utitur etiam *embasi* ex oleo adhibita, & tempus non finit adjutoriis.

SERAPION vero, qui tertio libro curationum, alia similia ERASISTRATO ordinavit, denique ejus accusationi jungendus est. Utitur etiam catapotio ex *plumbi* ramento, & *cocco Cnidio*, & *sale*, & *elaterio*, & *resina*, & *castoreo*, & *diagridio*, quorum singula acerrimæ esse virtutis probantur atque percutientia, & neque celeritati passionum, neque tumori congrua.

HERACLIDES autem *Tarentinus* libro quarto internarum curationum (*aaa*), existimabiles constituens suspiciones, aliter inquit curandos (*bbb*) *tumore* adfectos; aliter eos qui crassioribus intesti-

---

(*yy*) animadvertens.
(*zz*) quod.
(*aaa*) i. e. probabiles opiniones.
(*bbb*) inflammatione.

nis laborant, & ſtercoribus opprimuntur. Utitur autem per diem, & noctem *cerotariis* ex cera, & reſina, & irino oleo, vel Cyprino oleo, aut anethino: miſcet etiam ὠμῇ λύσει panacem tritum, & chamæpityn cum abſinthio & Cyprino oleo. Scribit præterea *potiones*, quibus inquit præpotandos ægrotantes, ex aniſo, caſtoreo, nitro, hyſſopo, calaminthe (*ccc*) mulſo ex aceto. *Clyſterem* etiam adhibet admixto abſinthio, vel centaureo, aut cucumeris agreſti radice. Dat etiam mulſum ex aceto, & purgativum potandum medicamen, ex *diagridio*.

Alia quoque virtutum millia conſcribit purgativorum medicaminum, quæ præbenda jubet, non aliter quam cætera acriora medicamina, & nullam curam adhibet mitigationis laxativæ, reſpiciens qua poſſit tumor mitigari. Sed ait communiter omnibus aliarum ſectarum principibus, quomodo inteſtina tumore denſata, atque contenta plurima materia, & acerrima, & (*ddd*) vulnerabili, ut illi probant, onerata, interfectionem faciunt ægrotantis. Denique ſi forte quiſquam *iliacam* evaſerit paſſionem, neceſſario ex ſupradictis *dyſentericus* fiet.

Item THESSALUS primo libro de regulis, quas *Græci* diætas vocant: alia quidem ut *methodicus* ſcripſit, alia culpabiliter, adjiciens quod exiguum potum dare debeamus, ſiquidem ad loca patientia deſcendat: quod contra *ſectæ* diſciplinam videtur ſenſiſſe & contra ſe ipſum (*eee*) inconſequenter fuiſſe commotus, ſiquidem pro patientibus locis velit eſſe mutabilem curationem.

(*ccc*) oxymeli.
(*ddd*) rodente lancinante.
(*eee*) ſine ratione.

Secundo libro quem *comparationem* adpellavit, contradicens ERASISTRATO, hæc eadem ait, apertissime discordantia veris sermonibus. Non enim pro differentia partium mutatur liquidorum quantitas, sed ob stricturam, vel solutionem. Inconsequenter igitur is in *iliacis*, patientis loci causa, potus quantitatem minuendam existimat. Erat enim prompte dicendum, atque demonstrandum, quomodo consideratione acutæ atque celeris passionis minuenda fuit potus quantitas.

Quidam nostri scriptores THEMISONIS sectatores, *cuminum* oleo decoxerunt ob adhibendum fotum, aut tritum lanis adsperserunt. *Alii* oleo rutam decoquentes, injiciunt per *clysterem*, & jubent vaporari ex *cineribus* (*fff*): mixtos etenim oleo, vel quodam laxativo liquori, ex decoctione congruarum materiarum (*ggg*) præfecto, in vasculo duobus digitis alto, atque ambitu simili loci patientis (*hhh*) mittendos, suppositis carbonibus, non flammosis, donec liquor insumatur. Tunc circumtento linteolis vasculo, atque parum refricto, convertendos in linteola, ac (*iii*) refundendos cineres, colligatoque vasculo fundo tenus, & constricto linteo fortiori, patientia vaporare loca. Equidem vere obtunditur admixtione olei & aquæ, cumini vel cinerum asperitas, sed est melius ex initio usque ad finem, recta intentione, congrua passionibus adhibere.

(*fff*) cineres *subint.*
(*ggg*) ante præparato.
(*hhh*) *subint.* jubent.
(*iii*) effundendos.

CAPUT XVIII.

De Satyriasi.

SAtyriasis est *vehemens veneris adpetentia*, *cum* (*a*) *tensione ob ægram corporis passionem.* Vocatur autem, ut quidam volunt, translative a similitudine *satyrorum*, quos, ut vulgus loquitur, sive fabula fingit, vinolentos, atque in usum veneris pronos dæmones accipimus: vel, ut alii dicunt, ab herbæ virtute, quam *satyrion* vocant. Hanc enim accipientes in venerem provocantur, cum *tentigine* genitalium partium

Sed antecedentes istius passionis *causæ* sunt epota medicamina, ob usum venereum excitandum, quæ *satyrica*, vel ἐντατικὰ vocant: quæ sunt acria, atque incentiva, & nervis improba. Item immodicus atque intemporalis *usus veneris.*

Est autem communis passio viris atque feminis, quæ solet accidere ætatibus mediis, atque juventuti. Hortatur etenim in usum venereum provocans ætatis vigor.

Sequitur autem ægrotantes vehemens genitalium *tentigo*, cum *dolore*, atque *incendio*, cum quodam *pruritu* immodico in venereum libidinem cogente: *mentis* alienatio: *pulsus* densitas: *anhelatio* crebra atque creberrima (*b*): desponsio: vigiliæ: hallucinatio: sitis: cibi fastidium, & difficilis *urinæ* egestio, ita ut plerumque stercorum abstentio fiat: quibusdam etiam febres.

(*a*) i. e. rigida veretri.
(*b*) desperatio.

Omnibus tamen in ultimo (*) *conductio nervorum* fit, quam *Græci* ſpaſmon vocaverunt, & involuntarius *ſeminis* jactus. Initio autem ſe leviter putant relevatos ex *uſu venereo*, atque ſeminis jactu, ſed paulo poſt vehementer extenduntur. Nocentur enim atque vexantur hoc uſu, quanquam parvi temporis relevationem falſam ſentire videantur, non aliter quam ſi *ſcabioſi* pruritu adfecti, vel *lippientes*, manuum contactum adfectare frequentent, quod *Græci* χειρολίαν vocaverunt. Declinante paſſione omnia ſupradicta minuentur, quæ *Græci* ſymptomata vocaverunt, nos accidentia paſſionis.

Hæc omnia etiam *mulieribus* paſſione adfectis, ſed plus in ipſis prævalet *prurigo* ob naturam. Indecenter enim ipſa in (c) *loca* manus mittunt, prurientibus verendis, atque omnes ingredientes adpetunt, & ſuæ libidini ſervire ſupplices cogunt.

Differt autem a ſatyriaſi *gonorrhœa*, quam nos ſeminis lapſum vocamus, ſiquidem ſine tenſione veretri fit ſeminis involuntaria atque jugis elapſio. Dehinc quod *ſatyriaſis* tarda non ſit, quam *Græci* chroniam vocant, ac ſimili quiddam habeat paſſioni, quæ a *Græcis* eſt adpellata *priapiſmos*.

Ejus memor eſt in libro ſignorum DEMETRIUS ATTALEUS, dicens quod hoc in quodam viderit

---

(*) C. Aurelianus toto hoc capite duos diverſiſſimos adfectus confundit; alter enim, qui hujus claſſis eſt, revera eſt convulſivus, coituſque adeo nocet, ut ægrum interimere queat: alter μανία ἐρωτικὴ dictus, eſt morbus chronicus, ex ſeminis nimia acrimonia ortus, cujus optimum remedium, modo mens loco nimis mota non fuerit, eſt validiſſimus coitus.

(c) pudenda.

ſene, atque in ſeipſum (*d*) manu operante, neo quicquam tamen potuiſſe peragere: *tenſionem* autem fuiſſe *veretri* nimiam, cum *parvo dolore*, ut cornu putaretur, & ita perſeveraſſe multis menſibus: nulli quoque adjutorio medicinali ceſſiſſe, ſed tardo atque longo tempore requieviſſe. Quo fit, ut ſit *priapiſmus* diſcernendus a *ſatyriaſi*. Siquidem illa celer ſit, nec tardet in corpore: ac fiat ſane (*e*) contractu nervorum, & ſtimuloſo deſiderio in veneream voluptatem.

Eſt autem paſſio *ſtricturæ* & *celeris* atque *vehemens*. Patitur enim tota *nervoſitas*, quod eſt conjiciendum ex mentis alienatione, & contractu membrorum: ſed plus atque præſtantius pati *ſeminales vias* accipimus, quas *Græci* ſpermaticos poros adpellant: pati etiam eas partes gravius, quarum congreſſione uſus venereus celebratur.

Curantes igitur, jacere facimus ægrotantes *loco calido*, atque vigilanter *ſilere* jubemus, *lanis* limpidis eorum clunes, atque pubetenus, quod *Græci* ἤτρον adpellant, cum inguinibus & ipſo veretro contegentes, prohibentes etiam hominum ingreſſum, & magis *juvenum feminarum*, atque puerorum, Pulchritudo enim ingredientium admonitione quadam provocat ægrotantes: quippe cum etiam ſani ſæpe talibus uſi ſtatim in veneream veniant voluptatem, provocati partium effecta tentigine.

Initio itaque acceſſionum convenit nos eorum articulos manibus adprehenſos continere, & ipſorum manus a locis patientibus arcere. Cum ſtatum

(*d*) maſtuprante.
(*e*) i. e. convulſione, ut paulo poſt.

tum ſumpſerit acceſſio, ex dulci atque calido *oleo* lanas expreſſas, vel decoctione *fœnugræci*, aut *lini* ſeminis, vel *hibiſci* adponere. In *dimiſſione* vero ob vehementiam etiam *phlebotomiam* adhibere, cogentibus rebus, *intra* diatriton : permittentibus autem, in ipſa diatrito. Intelligimus ſane dimiſſionem, ſi etiam *febres* adfuerint, ex earum (*f*) indulgentia. Neceſſe eſt enim quando paſſio aſperatur, tunc etiam febres extendi : & cum rurſum fuerit remiſſa, febres quoque levigari. At ſi febres non fuerint, ex cæteris accidentibus, quæ *Græci* ſymptomata vocant, cum ea indulgentiora viderimus, ut *ruborem*, *fervorem*, *pruritum*, vel in uſum venereum cupiditatem, aut genitalium *tentiginem*, vel his ſimilia.

Poſt phlebotomiam corpus perungemus, atque ora lavantes, cibum damus *halicam* ex melle, vel panem lotum ex aqua, & *ova* ſorbilia. Aliis autem diebus eas partes, quas lana texeramus *cataplaſmate* curamus, ex fœnugræci atque lini ſeminibus, aut pollinibus aqua reſolutis, quod *Græci* ὠμὴν λυσιν vocat, aut aqua & melle. Tunc etiam *cucurbitas* adponemus : ſed in acceſſionis ſtatu *leves* : in dimiſſione autem cum *ſcarificatione*, clunibus, atque pube tenus, perraſis (*g*) capillis. Adponimus etiam *ſanguiſugas*, & ſpongiarum *vaporatione* utimur, præcoctis in aqua quibuſdam laxativis. Adhibentes etiam *clyſterem* ex oleo calido, aut calida & oleo, tunc rurſum cataplaſmantes ante cibum. Præterea etiam (*h*) *encathiſ-*

(*f*) remiſſione ac imminutione.
(*g*) pube.
(*h*) balneis.

matibus utimur, nunc ex oleo confectis, vel ex calida & oleo, nunc ex decoctionibus mitigantibus & laxativis.

In *mulieribus* autem etiam *pessulum* oleo calido infundentes, sensim cum (*i*) sexualibus manibus in muliebre verendum mitti jubemus. Externas vero partes per latitudinem laris contegimus vel cataplasmamus, & utrique (*k*) fibræ cucurbitas infigimus.

Declinante passione, *gestationem* adhibemus, & in oleum vel calidam ægros infundimus, scilicet *embasim* facientes. Tunc etiam *lavacrum* adhibemus, atque meliotibus succis, & *variis cibis* nutrimus, fugientes acriora, pulmentum atque vinum, multo tempore. *Cerotaria* etiam patientibus partibus adponimus. *Mulieribus* vero liquidiora facientes (*l*) acrium vice utimur. Adhibentes etiam æque ex adipibus, atque medulla, & meliloto, vel his similibus *pessaria*, de quibus latius in libris, quos sumus de mulieribus scripturi, docebimus.

Aliorum autem medicorum, excepto THEMISONE, nullus hanc passionem conscribit; cum non solum raro, verum etiam coacervatim, sæpissime invasisse videatur. Memorat denique THEMISON, apud Cretam multos *satyriasi* interfectos, quod quidem, quantum creditur, factum est ignorantia ciborum, quod frequenter ac plurimam manderent *satyrion* herbam. Ait præterea apud *Mediolanum* juvenem feminam, atque alias (*m*)

(*i*) feminæ alterius.
(*k*) pudendi.
(*l*) clysteris vice injicimus.
(*m*) pudicam modestam.

decentem, nuptam cuidam nobili, se vidisse *satyriasi* interfectam. Ponit etiam ejus passionis curationem secundo lib. epistolarum, ad ASILIUM scribens; imperans *phlebotomiam*, atque *fomentationes*, & *cataplasmata* frigidæ virtutis adhibenda; quibus possit exstingui veneris adpetentia: dans etiam *potum frigidum*: quæ omnia sunt inconsequentia, atque incongrua.

Siquidem pugnent phlebotomiæ laxamento, ex quo indulgentia corporis fit, & est cataplasmatibus, & fomentis ex frigido potu effecta constrictio, atque condensatio, ut supra diximus, contraria: quippe cum *adpetentia* ac delectatio concubitus accidens sit verendorum partibus ob tumorem, sicut etiam *mentis alienatio* membranis cerebri tumentibus, quo fit ut ex frigidis atque constrictivis rebus augeatur etiam, vel geminetur veneris cupiditas.

CAPUT XIX.

De Cholericis.

CHolericam passionem ajunt aliqui nominatam a *fluore fellis*, *per os atque ventrem effecto*, veluti fellifluam passionem. Nam χολὴν fel adpellant, ῥοὴν fluorem: *alii* a multitudine fluentium humorum, qui sunt similes felli. Non enim inquiunt esse fella, sed esse liquida in eundem colorem transeuntia: sed hoc differt nihil. Non est enim necessarium de *etymologia* certare passionis. ASCLEPIADES libro de finibus hanc definitionem passionis dedit: *Cholera*, inquit, est *humoris fluor*, *celer*

ac parvi temporis, (*a*) *ventris atque inteſtinorum*, ex concurſu ſive obtruſione corpuſculorum, atque, ut ſæpe contigit, ex indigeſtione initium ſumens.

Hanc quoque definitionem quidam (*b*) differentes ajunt, humoris fluorem dictum, ſiquidem hæc ſit generaliter *cholera* : parvi etiam temporis, adjectum, ad diſcretionem *cœliacorum* : ſiquidem etiam ipſis fluor eſt humoris, ſed longo frequentius tempore : concurſu autem corpuſculorum, ſiquidem etiam *navigantium* quidam humoris fluxu adficiantur, nec tamen ex corpuſculorum concurſu. Adjectum etiam frequenter ex *indigeſtione* hoc fieri, ſiquidem ex aliis quoque cauſis fiat cholerica paſſio. *Aliqui* noſtrorum tradiderunt eandem definitionem, ſolum concurſum corpuſculorum detrahentes, atque viarum raritatem adjicientes. Nos autem ſuperfluum fuiſſe cauſas paſſionis dicere judicamus, cum ſit neceſſarium id quod ex cauſis conficitur, edocere. Multo autem ac magis ſuperfluum dicimus, etiam cauſas antecedentes definitionibus adjungi, quippe cum nec ſola cholerica paſſio ex indigeſtione fiat, neque ſola indigeſtio hanc faciat paſſionem, ſed etiam aliæ cauſæ ſpeciales, atque contrariæ virtutis, quarum nihil ex iſta definitione monſtratur.

Dehinc *rheumatiſmus* ſive humoris fluor, non ſolum ventris atque inteſtinorum eſt, ſed etiam ſtomachi. Quapropter, ut SORANUS ait, *Cholerica paſſio eſt ſolutio ſtomachi, ac ventris, & inteſtinorum cum celerrimo periculo.* Sed antecedentes cauſas ejus paſſionis dicimus, *vinolentiam*, vel *malum*

(*a*) ventriculi.

(*b*) explicantes.

medicamen potum, aut (*c*) *aquarum calidarum* potationem, vel *jactationem maritimam* primæ navigationis, quæ commoveat insuetos: sed vehementius hoc facere dicimur, ubi continuamus *indigestionem* ob plurimam sumptionem cibi, aut insueti aut curiose conditi: quorum sane intellectus aptus rationi est ob causarum scientiam, inutilis vero nec necessarius curationi, vel naturæ.

Huic passioni similis ac vicina est *diarrhœa*, atque *stomachi resolutio*, Sed diarrhœam ASCLEPIADIS sectatores discernunt. In *cholericis* ajunt ventris & stomachi rheumatismum, hoc est humoris fluorem, in *diarrhœa* vero ultimarum partium profluvium. Nos vero dicimus in *stomachi solutione* solum vomitum frequentare, & neque simul ventris fluorem: qui si (*d*) fuerit, rursum vomitu non (*e*) adtestante, solius ventris significat solutionem, & adpellabitur *diarrhœa*: in cholerica vero passione utrumque concurrit, hoc est vomitus atque ventris fluor, cum aliis quibusdam accidentibus signis, quæ post memorabimus.

Item *indigestionem* ajunt (*f*) genere differre: sed ASCLEPIADIS sectatores magnitudine inquiunt, siquidem *parvus* in *diarrhœa* fiat ex indigestione corpusculorum concursus, sive obtrusio, *major* autem in *cholericis*: tempore etiam differre inquiunt: siquidem præcedat indigestio choleram: sed eorum prompta atque facilis est discretio. Etenim *indigestio* conficitur ex corruptione

---

(*c*) ut sulphurosæ, nitrosæ, &c.
(*d*) adfuerit.
(*e*) præsente.
(*f*) & pro ea differentia nunc diarrhœam, nunc choleram excitare.

ciborum, etiam si quis neque vomat, neque humoris fluorem sustineat, quem *Græci* rheumatismum adpellant, per ventrem effectum. *Cholera* autem ex vomitu atque ventris fluore turbatio est, etiam si cibus non fuerit corruptus: nam & ex aliis antecedentibus causis advenire, intelligi potest.

CAPUT XX.

Quæ sequuntur eos qui cholerica passione adficiuntur.

PRæcedit frequenter cholericos *stomachi gravedo* atque *tensio*: *anxietas*: *juctatio*: *vigiliæ*: *tormentum intestinorum* cum sonitu, quem *Græci* borborygmon vocant. *Ventris dolor*; atque per podicem *venti fluor* nihil relevans: *ructationes* fumosæ: *nausea*: salivarum fluor: *gravedo* thoracis cum membrorum (*a*) defectu: surgente passione *jugis vomitus*, & primo corrupti cibi, sicut frequenter occurrit, & humoris atque fellis flavidi: dehinc vitellis ovorum similis: tunc (*b*) prasii, atque æruginosi; ultimo etiam nigri: *ventris* quoque *turbatio* cum dolore: & *egestio* vomitorum similis; hoc est spumosa, & acerrima, cum frequenti (*c*) delectatione vomendi.

Crescente passione *aquati* atque tenuis liquoris fit *egestio*, & aliquando similis *loturæ carnis*. Fe-

---

(*a*) lassitudine.
(*b*) prasini i. e. porracei.
(*c*) irritatione.

runtur etiam cum his humoribus plerumque *subalbida* (*d*) *desputa*: sequitur etiam densitas *pulsus*, & *articulorum* frigus, atque *vultus* nigrore fuscatus: *ardor*, atque sitis insatiabilis: *spiratio* celerrima: & *contractio* vel conductio membrorum, cum nervorum tensione: ac surarum & brachiorum. *Præcordiorum* etiam ad superiora raptus, cum dolore iliaco simili, aliquando etiam *egestio ventris sanguinolenta*, *vultus* in maciem atque tenuitatem deducti: *oculi* rubri: & in ultimo *singultus*. Ista denique acuta atque celerrima passio esse a veteribus memoratur, ut nunquam in secundum veniat diem.

At si in meliorem partem vergere cœperit, ut levior fiat, *articulorum* atque corporis *frigus* (*e*) infractum mitescit: & *pulsus* adsurgens manifestior fit; ex altioribus ad superficiem veniens: parvæ etiam, atque intervallis longioribus *egestiones* fiunt: & paulatim relevatior æger efficitur.

(*f*) *Accessiones* autem adprehendimus ex his, quæ sunt passioni consequentia. Cum enim anxietas atque jactatio, confluentibus ad stomachum liquidis, & contractio articulorum occurrerit, accessionem præsentem dicimus. At si post vomitum minus sibi æger (*g*) cœperit displicere, stomachi occurrerit relevatio, & mitigata ventris mordicatione, cuncta minui adversa cœperint, dimissionem pronuntiamus.

Generaliter autem passio est *vehemens*, atque *acuta*, vel celeris, & *aliquando* solius solutionis,

---

(*d*) pituitosa ramenta.
(*e*) diminutum.
(*f*) paroxysmos particulares.
(*g*) minus anxius sit.

aliquando adjuncta ex aliqua parte ſtrictura, ut dolores oſtendunt ſtomachi, atque ventris, & inteſtinorum, & articulorum contractio. Magis autem patiuntur in iſta paſſione *ſtomachus*, & *venter*, & *inteſtina*: cætera vero membra omnia corporis conſentiunt.

CAPUT XXI.

Quomodo curandi ſunt cholerici.

CHolericos oportet primo ſimiliter ut *cardiacos* locari, atque ut (*a*) *indigeſtos*, vel qui cibos (*b*) excludunt: *potum* dari decet tepidæ, ut quod immutatum corruptione videtur, tanquam veneni materia per vomitum depurgetur. At ſi hæc corrupta excludi deſierint, erunt ægrotantes ſervandi in eodem (*c*) ſchemate. Provocabiles ſunt enim liquidorum fluxionibus motus. Convenit etiam *articulorum* levis atque impreſſa *defricatio* cum quadam perſeverabili tenacitate: tum etiam eorum *ligatio*, quæ cum fuerit (*d*) denſa, (*e*) phthiſicum conſentire ſtomachum cogat. Sed ne ex his *ligamentis* ſuperiora torpeſcant, erunt ſæpius commutandæ ligationes. Tunc *ſtomacho* atque ori ventris *ſpongiæ* admovendæ jugiter ex aqua frigida expreſſæ, dehinc etiam ex *poſca*, atque iiſdem

---

(*a*) qui cruditate ventriculi laborant.
(*b*) vomitu rejiciunt.
(*c*) i. e. quieti.
(*d*) arcta.
(*e*) tabidum fluxum.

facies detergenda, quo (*f*) defectione ſubmota in reſumptionem veniant ægrotantes.

Utemur etiam *odoramentis*, ſicut in cardiacis ordinavimus, atque *flabris*, & *cataplaſmatibus* frigidæ virtutis, ſecundum thoracem ac ventrem. Sed ut non ſæpius hæc mutare cogamur, neque contrario, permanendo calida efficiantur, ſpongiis frigida expreſſis atque ſuperpoſitis ea frigidamus, ut non (*g*) ſæpius virtute conſtrictiva, verum etiam frigido tactu fluorem conſtringant.

At ſi *dolor*; vel inteſtinorum *tormenta*, plurimum coegerint, pro frigidis ſpongiis aliqua (*h*) temperantia admovemus: tum tectione mundarum lanarum, vel olei dulcis, atque calidæ infuſionibus utemur. Similiter etiam propter (*i*) *contractiones*, articulos lana circumtegimus, & pannis calidis (*k*) colligamus. Infigimus præterea *cucurbitas leves*, quas *Græci* κούφας vocant, ſcilicet ſine ſcarificatione. Has frequenter detrahimus, atque differentibus locis infigimus, quo latenter ac ſenſim etiam *ſtrictura*, quæ irruerat, reſolvatur..

At ſi dolores coegerint, & plus urgere *vomitum* viderimus, ſolutione obtinente, ita cucurbitas infigemus, ut in cardiacis memoravimus, hoc eſt, *conſtrictivas* ori ventris, atque ſubſequentibus partibus. Aliquando etiam a *tergo* per intervalla dimiſſionis adhibemus. Præterea *aquam*

(*f*) animi deliquio.
(*g*) tantum.
(*h*) dolorem mitigantia.
(*i*) ſpaſmos, convulſiones.
(*k*) cooperimus, deligamus.

frigidam ſorbendam damus, per intervalla quidem.

At ſi vehementius *vires* amputari, ac *ſolutionem* creſcere viderimus, præcuratis ægris, ut in *cardiacis* docuimus, *cibum* damus dimiſſionis tempore, non exſpectata prima *diatrito*, defectionis coacti periculis. Dabimus igitur *panem ex aqua frigida*, diligenter prælotum: *halicam*, vel *oryzam* ex aqua, vel poſca: aut *ova* ἀπαλά aceto prius infuſa, & *pulticulam* ſicciorem. At ſi accepta rejecerint, paululum requieſcentes, poſt intervallum rurſum cibo nutrimus.

Tunc, ſi res coegerit, etiam *tertio* id facimus, vel *quarto*: & ob retinendum cibum *cucurbitam* latioris oſculi unam vel ſecundam plurima cum flamma infigimus *ori ventris*, infra coſtarum finem eodem tempore, quo cibum damus. Tunc poſt ejus ſumptionem idem facimus, quo conſtrictione atque raptu corporis, ad inferiora venire, & illic permanere cogantur accepta. Oportet præterea *adjutoriorum* mediocritatem [*l*] intueri. Nam plurimo atque jugi cibo oppreſſione præfocati ſæpe ſunt ægrotantes.

At ſi diſtantia temporis longiore fuerit vomitus intercapedinatus, & ventris effuſio iiſdem dilationibus [*m*] dirarata, tunc, ut in declinatione totius paſſionis, ob adpetentiæ deſtructionem dabimus quicquam pomorum, ut *pyra*, vel *mala cydonia*, aut *ſorba*, aut *mali Punici* grana, aut Damaſcena, vel recentium uvarum [*n*] palealium, *intybi* thyrſum, atque volantium pectora,

---

[*l*] obſervare.

[*m*] rarius incitata.

[*n*] in palea reconditarum, & adſervatarum.

ſed non pinguium. ut *perdicis*, vel [o] *phaſſæ*, vel ſimilium, in poſca decoctorum vel aſſorum cum aſpergine corticis mali Punici, in pulverem comminuti. Dehinc e *cellario* quod *Græci* apotamiam vocant, *colymbadas olivas* fractas.

At ſi ſufficienter ægrotantium ſurrexerint vires, dabimus etiam *panem ex vino mediocriter auſtero*, aqua frigida temperato. Dehinc etiam bibendum dabimus ex ipſo mixtum *potum*, ſed eo tempore quo cibum dabimus: multum enim bibere prohibemus: ſiquidem ſitis ſiccare valeat humecta.

At ſi *febres* fuerint conſequutæ, & vires ægrotantis permiſerint, abſtinentiam cibi adhibemus una die: ſi autem hoc ferre non potuerint, dabimus cibum dimiſſionis tempore: ſin vero febres non coegerint, & paſſionem ceſſaſſe viderimus, non ſine cautione ac *diligenti cura* reſumimus ægrotantem paulatim, atque modicis adjectionibus *potus*, vel *ciborum*, præcaventes ſuperfluos cibos, ne in commemorationem paſſio reducatur. Reſumptis igitur viribus, etiam *lavacrum* adhibemus. Hæc eſt *ſecundum nos cholericorum cura*.

Veterum autem medicorum ſententiæ variant. HIPPOCRATES fel quoddam adpellans [p] *choleurecam* nominavit, atque iliacæ paſſionis eſſe particulam ſive concurſum conſtituit. Ille denique ejus *curationem*, neque memorare dignum arbitratus eſt, ſed quinto libro *epidemion* cholericorum ſigna tradens, *helleboro* dicit utendum cum lenticula, ac ſingularem ſuccum lenticulæ bibendum.

---

[o] phaſianæ avis.

[p] cholericam ægritudinem.

Tunc inquit *vomitum* provocandum esse, quod est non aliter *contrarium*, quam si quis *fluore sanguinis* pereuntem, vel *diaphoresi* dissolutum phlebotomare, vel ita ut *cardiacum* sudore defluentem calido lavacro, vel sudoriferis vaporibus velit adjuvare. Quod id ipsum quod passio nititur, adjutorium quoque fieri vehementius cogat. Etenim (*q*) in *helleboris* vomitus factus, etiam his, qui nulla solutione adficiuntur cholericæ passionis, periculum solet fieri, & magis, cum non præparatis corporibus adhibetur. At si quisquam HIPPOCRATEM defendens dixerit, ab eo non datum, sed memoratum, quod quidam *cholericus* acceperit, vel sibi ipse dederit, frigida utitur defensione. Ait enim HIPPOCRATES profuisse datum: quod si displiceret, culpare debuerat.

Item DIOCLES libro quo de passionibus atque earum causis, & curationibus scripsit, *frigerandos* inquit *cholericos*, & donec depurgentur, nihil eis accipiendum: sed tunc cum tempus visum fuerit, dandam *frigidam* & in vomitum provocandos: *balanos* etiam per podicem indendos. At si *hyems* fuerit, calida aqua utendum: tum nigrum dandum vinum cum polenta, atque provocato somno, quiescendum: *singultui* vero absinthium dicit convenire, & ad (*r*) *solutionem* bubulum vel caprinum lac, dimidiæ heminæ quantitate, cum papaveris succi cyatho dimidio, & mali Punici succo.

Scripsit etiam aliud curationis genus, quo memorat cumino quoque, atque sale & origano, & his similibus potis utendum.

(*q*) ex helleboro.
(*r*) *subint.* cohibendam.

Culpandus igitur primum eſt, quod calidum potum dari jubeat *cholericis*, cum tempus hyemis intuetur, & non paſſionis conſiderat vires, neque conjicit quod calidum quicquid eſt, laxando provocet vomitum. Addidit etiam nihil dandum, donec ægrotantes depurgentur, & non docuit tempus cibi offerendi neque demonſtravit quando poſt depurgationem corruptorum, dimiſſionis tempore erunt ægrotantes nutriendi: denique tempus vini dandi non memoravit. Item *abſinthium* eſt acerrimæ virtutis, & propterea incongrue atque imperite ſingultientibus ordinatum. Eſt enim ex tumore ſtomachi veniens ſingultus. *Lac* etiam in ejuſmodi paſſionibus facilius aceſcit, & effuſionem ventris provocantem extendit. *Cuminum* quoque & *origanum* acerrimæ virtutis eſſe nemo eſt qui neſciat. Quo fit, ut aperiantur magis quam claudantur fluentia, & provocentur mordicationibus, quæ forte ſunt in tumore conſtituta.

PRAXAGORAS primo libro de curationibus contra docens, jubet dari plurimum *mulſum* ex (ſ) aceto confectum ebibendum, & calido *paſſo*, atque *abſinthio* potandos probat. Vomentibus vero prius inquit calidum potum dandum. Tunc ſi plurimus inquit vomitus fuerit, *lavandos* ægrotos calida, & poſt lavacrum *ſomno* dimittendos. At ſi dormire non potuerint, danda polenta, atque bibenda ex mulſo, vel paſſo, vel frigida. Et cum vomitus quieverit, *lenticula* nutriendos, & *vino* potandos. At ſi vomitus perſeveraverit;

(ſ) Sic vocat oxymeli.

post (*t*) dationem, rursum lavandos, atque iisdem utendum: at si perseveraverint ea quæ per ventrem feruntur, manente etiam vomitu, alia die rursum lavandos, atque similia adhibenda.

Adparet etiam in hoc morbo *erroribus* implicari. Etenim *mulsum* ex aceto doloribus est incongruum, ut quod inflet tumentia ex *aceti* qualitate: *absinthium* vero est nocens, ut superius memoravimus. Item *calidus* potus vomitibus est inconveniens: *lavacrum* quoque fluenti corpori vehementer inimicum, quod iste non semel, sed sæpius adhiberi confirmat: & neque cibo nutrit, quo facilius vires ægrotantis diversis intereant detrimentis. Neque saltem semel, sub hac lavacri frequentia dormire permittens, ut ipse voluit. Item *mulsum* ventrem dissolvit, quippe non decoctum. Non aliter etiam dulce vinum. *Ridiculum* quoque est, atque cachinnos commovens, pausante vomitu, lenticulam dare: perseverante vero, lavacrum adhibere; cum sint hæc in utroque contraria. Etenim *lenticula* constringit præsentem fluorem, *lavacrum* vero corpus (*u*) coæquat, post vomitus cessationem.

Item ERASISTRATUS secundo libro salutarium, utitur *tepido potu*, vomitum provocans, vel acrimoniam temperans fellis. Contra dolores autem *tepidis* utitur *vaporationibus*, & *cataplasmatibus* ex farina & vino: at si sitis defectio coegerit, vino potat *Lesbio*, cum aqua frigida, sed in aquæ cyathum vini guttas duas admiscendas jubens vel tres, ut solum, inquit, odorem vini habere aqua videatur, atque hoc bibendum post

(*t*) calidæ: ut supra.
(*u*) fibrarum stricturas resolvit.

ſingulos imperat vomitus, & poſt ſingulas ventris effuſiones. *Plus*, inquit, *aquæ* admiſcendum ſi febres irrruerint, & ſimiliter *lenticulam*, dandam & *vinum*, aut malorum infuſionem, vel decoctionem pomorum, aut pyrorum: & etiam *lavacrum* probat & reſumptionem adhibendam.

Sed hic quoque excludendus in quibuſdam eſt. Etenim contra dolores (*) quomodo calidis, ſic ſine vino cataplaſmatibus utendum: ſiquidem *rigore quodam naturali*, ſive mordicatione, quam *Græci* ῥῖγος vocant, *vina conſtringant*. Eſt præterea eorum datio ante declinationem paſſionis contraria, & magis cum ſine cibo danda ordinantnr, & immodice: ſiquidem poſt ſingulos vomitus id fieri præceperit, cum propter virium ſolutionem oportuerit etiam cibi quiddam offerre, & non ſolum vinum potandum dare. *Febribus* quoque irruentibus, & quantum credendum eſt *humore* (*x*) *interpoſito*, inconveniens eſt lenticula, & infuſiones ſive decoctiones conſtringentinm materiarum. Harum enim ad vomitum cogendum tantum fuerat uſus neceſſarius.

At HEROPHILUS cholericorum curationem ſecundum ſe, aliis nullam tradidit.

ASCLEPIADES vero tertio libro celerum vel acutarum paſſionum, (*y*) adfectans *vomitum* ex rapaci hauſtu tranſvoratis potionibus, eodem die lavat ægrotantes, & *vino* potat cum polenta: & quid ultra? cum plurima adprobet veterum curationum, ſolum prohibens ea die lavandos, niſi

---

(*) quemadmodum.

(*x*) intercepto, i. e. inculcato, nec libera ventilatione difflato.

(*y*) moliens ac procurans.

vires fuerint (z) reparatæ. Oportebat enim *vini tempus* definire, atque *post cibum* dandum ordinare.

Empiricorum SERAPION primo libro curationum, istius passionis medelam tradidit. Item HERACLIDES *Tarentinus* libro quarto, sed communiter uterque rationalis (*aa*) *logicorum* consentiunt curationi: adjiciunt etiam medicamina, quæ *catapotia* vocaverunt, multis ex speciebus confecta, atque φαρμακώδη dicuntur, necnon *potiones* etiam ad retinendos exitus fluentium materiarum, ex quibus sunt *hyoscyami* seminis, quem nos altercum dicimus, drachmæ duæ: *anisi* drachma una, *opii* drachma semis, contrita & superflua aqua dulci. Tunc collecta, & in *triginta* partes divisa: singula faciunt *catapotia*, quæ dantur in aqua frigida, cyathis duobus. (*bb*) Abstinent, inquit, etenim ventrem.

His, vero qui fuerint viribus illæsis, convenire dicit medicamen ex *myrrha* atque *papavere*, & *croco* confectum, in quantitatem ervi datum, cum vini cyatho: sed hæc (*cc*) vehementius ostendit HERACLIDES *Tarentinus*, dans etiam halicam cum vino ultimæ expressionis, ὑδατώδη *Græci* vocant, nos abusive tortivum, vel cum *absinthio* & oryza: vel *lenticula*, aut *ptisana*, cum contrariam virtutem halicæ lenticula atque ptisanæ obtineat.

Item

(z) vino & polenta.
(*aa*) Medicorum rationalium.
(*bb*) ventris fluxum cohibent.
(*cc*) prolixius extendit.

Item primo libro regulari, ſive ut *Græci* dicunt, *diætetico*, nutriens *cholericos* prima die, cæteris utens congrue. Poſtera, inquit, die eos ante vomitum uſque ad tertium diem, neque cibo nutriendos, neque os colluere permittendos, ſi quicquam fuerit ſuſpicione (*dd*) ſollicitum. Poſt tertium vero diem continenter atque cum cautione reſumptionem faciendam.

Sed huic erit reſpondendum: Utrum in declinatione paſſionis dari dixerit vinum, atque varium cibum, an ante ipſam, quod eſt imtemporale atque importunum. Sed in declinatione, cur declinante paſſione, & quantum creditur, forſitan excluſa, uſque ad primam diatriton abſtinendos exiſtimat ægrotantes? His enim qui forſitan (*) ob ejus defenſionem dixerint, eum præcavere rurſum ne febres irruant, reſpondemus, hoc eſſe occultum, & non oportere *methodicum* eſſe ſuſpicionibus incertis occupatum, (*) & vere. At ſi ob irruentem febriculam, quæ jam præſens eſſe videtur, abſtinentia putat utendum, erat melius dicere, ceſſante vomitu, emergenteque febricula abſtinentiam eſſe adhibendam, quod quidem facere vel memorare neglexit.

(*dd*) metuendum de morbi aut recurſu, aut perſeveratione.

(*) ad.

(*) ſed veris.

CAPUT XXII.

De defluxione, quam Græci diarrhœam vocant.

DEfluxio eſt ſecundum ASCLEPIADEM rheumatiſmus, ſive, *fluor parvi temporis, ultimarum partium coli atque ſeſſionis*, ſive (*a*) longanonis, ut nos adpellamus, quæ fit, inquit, ex conventu ſive concurſu atque *congreſſu corpuſculorum.* Sed huic quidam reſponderunt, quod non ſolum ultimarum partium coli defluxio eſſe videtur, ſed etiam ſuperiorum: item ex corpuſculorum concurſu, ſive conventu, quem ἔντασιν adpellavit, negant fieri poſſe *defluxionem*, ſed magis abſtinentiam, vel *retentionem.*

Alii rurſum defluxionem dicunt *fluorem*, ſive ut *Græci*, rheumatiſmum, *parvi temporis, inteſtinorum, atque ſeſſionis vel longanonis ſecundum viarum raritatem.* Sed ſuperfluum eſt cauſas adjicere, cum paſſionem definimus, quibus fuerit confecta defluxio.

Item alii defluxionem eſſe dixerunt *ventris turbationem celerem*, vel acutam, *quæ fit ex corruptione ciborum.* Sed etiam nunc habet quædam ſuperflua definitio. Dehinc etiam ſine corruptione ciborum, aut ſimili cauſa poſſe defluxionem fieri, probe videmus. Sequitur autem defluxione laborantem *ſine ullo dolore effuſio liquidorum per podicem*, hoc eſt, per anum, quæ corporis facit (*b*) *corruptionem:* aliquando etiam perſeve-

(*a*) recti inteſtini.
(*b*) colliquationem.

rando *inteſtinorum vulnerationem*, ex qua dyſenteria ſæpe ſequitur.

Utendum ægrotante commode locato, *ſilentio*, atque *abſtinentia cibi*, & *vini*. Tunc etiam *cataplaſmatibus* conſtrictivis, ſecundum clunes atque ventrem vel pubetenus, admotis. *Alia* die, ſi *defluxio* ceſſaverit, cibus adhibendus conſtrictivus. *Tunc* etiam vinum atque lavacrum adhibendum, & cætera, quæ reſumptionibus convenire videntur.

OXEON LIBRI TERTII FINIS.